GRAMMATICA SLAVICA AUCTORE ANTONIO BERNOLÁK AD...

Anton Bernolak

Digitized by Google

6
6-a
41

M

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
2 G
44

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

~~1. 10. 2~~

II 14 G

II 15 F

Digitized by Google

GRAMMATICA SLAVICA

AUCTORE

ANTONIO BERNOLÁK

Ad

Syſtema Scholarum Nationalium in Ditionibus Cæſareo-Regiis introductum accomodata.

Editio prima in Pannonia.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE



Melior poſt aſpera fata reſurgo.

POSONII,
IMPENSIS IOANNIS MICHAELIS LANDERER
PERPETUI IN FÜSKUT.

1790.

Digitized by Google

Non poteſt quiſquam beate vivere, qui ſe tantum
, qui omnia ad utilitates ſuas convertit:
vas oportet, ſi vis tibi vivere. (Seneca
br.)

Digitized by Google

PRAEFATIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

§. I.

Cum plurima ſunt, eaque immortalia virorum magni ingenii & excellentis doctrinæ præclare de humano genere merita ſtudia, tum illud cumprimis, quod in percolendis, illuſtrandis, atque facilitandis vernaculis Linguis collocatur ſtudium, tantum eſt, tamque eximium, ut gratis hominum inſculptum cordibus nulla unquam vi eripi, tenaci impreſſum menti nulla poſſit temporum obliterari vetuſtate. Hoc illud ſtudium eſt, Benevole Lector! quod de rebus humanis diviniſque non modo bene recteque loqui, ſed & ſcribere docet; quod gentes ac populos, quos antea ſola diſcordia linguæ diſſociaverat, ex diſſidio illo in mutuam, et inſitam naturæ humanæ ſocialitatem coadunat. Gravis eſt, ſed veriſſima celebris cujusdam Scriptoris in hanc rem ſententia: *Linguarum diverſitas hominem alienat ab homine, & propter ſolam linguarum diverſitatem nihil prodeſt ad conſociandos homines tanta ſimilitudo naturæ: ita, ut libentius ſit homo cum cane ſuo, quam cum homine alieno.* Quapropter, quo ſunt inter diſſociatas nationes atque populos loco ha-

Digitized by Google

habendi ultro citroque miſſi caduceatores, eandem prorſus hi quoque merebuntur dignationem, qui id circa Linguæ ſuæ ſtudia elaborant, ut non modo domi fiant illuſtria, ſed & gentium circumſitarum oculos animosque ad ſui cognitionem advertant. Quæ ſane molitio uti ex ſe honeſtiſſima eſt, ita eo patet latius, quo circa Linguam occupatur antiquiorem, præſtantiorem, atque uſus & utilitatis auguſtioris.

§. II. Iſtud vero eſt, quod de eorum, qui *Linguam Slavicam* eunt illuſtratum, tenui, uti videbitur ſuo ipſorum ingenio abundantibus, molimine confidenter ſuſtinuerim adfirmare. *Linguam* enim *Slavicam* dum dico, & antiquiſſimorum populorum jam olim fuiſſe ajo, & dictionis exuberante quadam copia, elegantia, ac majeſtate præſtantem, & ita late per innumeros fere populos diffuſam, uti in Europa aliam nullam.

§. III. De *vetuſtate Slavonicæ* Linguæ nihil adtinet ſcrupuloſius, elaborare; cum tanta ſint argumenta ut vel numerum eorum deſignare difficile ſit in ea multitudine, ne dicam ſingulorum pondera pro merito æſtimare. Si *Heneti*, gens Paphlagoniæ, & cujus antiquiſſimus ſcriptorum Homerus meminit, Slavorum parentes ſint habendi, ſicuti ſunt omnino, doctiſſimorum quorumvis virorum ſententia; *Linguam*

Sla-

Slavicam habebimus, cum antiquiſſimis quibusque de originum vetuſtate haud iniquo ſucceſſu certaturam. (*a*)

§. IV. De ejus latiſſime diffuſo, & armis, ac migrationibus propagato uſu ex vero ſentit *Centuria* VII, *pag.* 146 Révajus, dum dicit: *Lingua Slavica hodie omnium latiſſime patet; utpote, quæ a Mari Adriatico ad Oceanum uſque ſeptentrionalem ſe extendere videatur: nam ea utuntur Iſtrii, Dalmatæ, Croatæ, Boſnenſes, Bohemi, Sileſii, Luſatii, Poloni, Lithuani, Pruteni, Scandinaviæ incolæ, & Ruſſi longe lateque imperantes. Bulgari item & multæ aliæ vicinæ regiones Conſtantinopolim fere uſque: adeo, ut toto orbe terarum ſit Lingua Slavica, qua plurimas gentes & nationes alloqui, mutatis tantum dialectis, ob vicinitatem aliorum populorum aliquid peregrini habentibus, licet; ut, ſi Linguarum gloria ab uſu, fa-*

 mili-

a) De vetuſtate Slavonicæ Linguæ & Gentis ſcripſerunt: M. Jacobus Jacobæus in *Vinà Gentis Slav.* *delineat* Leutschoviæ a. 1642. Daniel Sinapius in *Neoforo Latino-Slavonico*, ibid. a. 1678. Job. Piſcatoris in *Diſſertatione* Wittembergæ habita. P. Martinus Szentiványi in *Cur. Miſcell.* Dec. a. Schurtzfleiſchius in *Diſſertat. de rebus Slavicis.* Mathias a Sudetis *de Orig. Bohem.* Lomonoſſowius in alten ruſſiſchen Geſchichten. Jos. Sim. Aſſemannus vir de gente Slavonica optime meritus in *Kalendariis Eccleſiæ univerſæ.* C. Joan. Chriſtoph. de Jordan *De Originibus Slavicis &c.* opere Chronologico-Geographico-Hiſtorico, Viennæ 1745, Tomi II in fol. & alii innumeri. Conf. *Diſſert. Philologico Critica de Literis Slavorum &c.* pag. 4. 5, 6, 7.

miliaritate, & latitudine petenda eſſet, ipſa Slavonica cum Latina ceteris palmam eriperet; cujus adminiculo prope dimidia Europæ pars, nonnula etiam Aſiæ peragrari poteſt. Hæc ita ſunt omnino. (b)

§. V. Sed etſi aliunde, quam ab uſu, familiaritate, & latitudine gloria Linguarum petatur, habent, quod glorientur Slavi, ſive de copia, ſive de elegantia, ſive de majeſtate Linguæ ſuæ. Enimvero copia nominum & verborum tanta illi ineſt, ut nulli Linguæ, ne Græcæ quidem, cedere cogatur: elegantia autem dictionis ita præſtat, ut omnium Europæ Linguarum decora non æmulari modo, ſed vincere etiam unica Sla-

b) Slavonicæ Linguæ amplitudinem multi Scriptores literis conſignarunt, in his, Joannes Puchovienſis in ſua *Coſmographia*, Ferdinando I. Imper. A. 1554 dedicata, Joh. Herbinius, qui ex hebraico fonte hanc Linguam derivat, in *Religioſis Kiovienſibus Cryptis*, Jenæ 1673 in 8vo. Abrahamus Frenzelius, qui idem præſtare conatus eſt in *Originibus linguæ Sorabicæ*, Budiſſinæ 1693, in 4to. Eduardus Bernhardus, doctiſſimus Anglus, in libro, cui titulus: *Orbis eruditi Literatura a charactere Samaritico deducta*, Oxonii, 1689, in fol. G. C. Kirchmayer in *Diſſert de Lingua Slavonica*, Witt. 1697. Herberſteinius *rerum Moſcoviticarum* P. I. Brerewoodus in libro Anglico, in latinam poſtea linguam converſo: *De Scrutinio Religionum & Linguarum*. Conradus Geſnerus in *Tractatu de differentia Linguarum*. Nicolaus Miris Parochus Szklenenſis in *Curioſo de Lingua Slavonica Commentariolo*. Thomas Bozius in libro *de Sign. Eccleſiæ Dei*. Cl. Aſſemmannus in *Kalendariis Eccleſiæ univerſæ*, Joan. Leon. Friſchius in *binis de Hiſtoria Linguæ Slavonicæ Schediasmatibus*, omnium, ſi Kohlio credimus, accuratiſſimus; & alii.

Digitized by Google

Slavonica poſſit. *Neque enim*, verba ſunt celebris Mathiæ Belii, *ſi quid ex vero judicare poterimus, Hiſpanicæ gravitate, majeſtateque; blanditie, ac facilitate Gallicæ; Anglicæ ſublimitate, efficacitateque; Germanicæ ſenſus & emphaſeos ubertate; lenitate, ac ſuavitate Italicæ; denique Hungaricæ noſtræ imperioſa illa ſeveritate quidquam concedit: ita abſolutarum eſt qualitatum, ſi viri ea utantur docti, eloquentes, & ad ſocietatem nati efformatique.*

§. VI. Etſi vero magna hæc eſſe nemo diffiteatur, illud tamen ad decus & ornamentum, conciliandamque *Linguæ Slavicæ* æſtimationem maximum eſſe puto, quod ea ad tollenda quoque de vero & genuino ſenſu, ordine & numero, capitibus item & textibus Librorum Sacrorum dubia, præſertim dum res eſt cum adverſariis agenda, non parum adferat adjumenti; cum in ea plurimi dentur Scripturæ Sacræ, ætatem typographicam ſuperantes, Codices manuſcripti. (c) Atque hinc eveniſſe mihi perſvaſum habeo, quod

c) Codices LL. SS. Slavonicos recenſet Jacobus Lelong in *Bibliotheca Sacra*, Paris. 1723, T. II in fol. Joan. Petr. Kohl in *Introductione in Hiſtoriam & rem Literariam Slavorum*, Altonaviæ, 1729, in 8vo. F. Fortunatus Durich in *Diſſert. de Slavo-Bohemica Sacri Codicis verſione*, Pragæ 1777, & alii. Quibus adde Codicem Slavo-Bohemicum N. T. in forti charta ſcriptum, primis literis librorum auro & vario colore exaratis, qui in Bibliotheca Seminarii Generalis Cleri Regni Hungariæ Poſonienſis exſtat, ac anno rep. ſal. 1469 in Vigilia S.

Clariſs. Michaelis, celeberrimus apud Proteſtantes Scripturæ Sacræ, præſertim V. T. interpres, in der Einleitung in die Schriften des neuen Bundes, §. 88, de Slavicis verſionibus inſcripto, Slavicæ verſionis non tantum ſtudium commendet, verum etiam doleat illius Linguæ condiſcendæ opportunam occaſionem in juvenili ætate a ſe intermiſſam fuiſſe. Mira ſane Linguæ Slavonicæ extra Slavoniam commendatio! qua, quid excellentius, quid ad Slavicæ Linguæ celebritatem illuſtrius cogitari, quo majori Lingua Slavonica potuit condecorari monumento?

§. VII. Taceo jam propenſum Romanorum Pontificum, Nicolai I præſertim & Joannis VIII in hanc Linguam ſtudium, qui ea ipſas Miſſas, Canonicasque horas (*d*) celebrandi plenam fecerunt

runt

Jacobi pe quemdam Wenceslaum, apud S. Adalbertum Scholaſticum Magiſtrum, abſolutus eſt. Dolendum, quod Codex hic, primo capite Marci & quinque primis capitibus Matthæi elaceratis ac deperditis, mancus, nec non a tineis aliquibus in locis corroſus, noviter non deſcribatur.

d) Miſſale Slavo-Latinum typis omnium prima vice prodiit Venetiis, a 1528 in 4to, opera F. Pauli de Modruſſa Ord. Min. Conven. per Franciſcum Bindoni & Maſeum Paſyni. Breviarium autem itidem Slavo-Latinum ibidem a. 1561 opera Nicolai Brozich. Romæ in Bibliotheca Collegii Urbani extant Ritus Slavo-Latini duo *Breviaria*, & tria *Miſſalia* MSS. I Breviarium a 1387, II exacto anno 1389 eſt conſcriptum. Miſſale I exaratum videtur a. 1387, II 1435, III 1402. De reliquis confer Aſſemannum Tom. IV. Ritualia autem quod adtinet, præter ea, quorum meminit Aſſemannus, extat in Bi-

Digitized by Google

runt poteſtatem; ut quæ Lingua cum Latina, Græca, & Hebræa exiſteret aliarum Linguarum mater, ſimul cum illis in Religionis admitteretur ſocietatem. Non commemoro amplius Caroli IV Imperatoris conatus, Linguam Slavicam ad maximam, quam poſſet, evehendi celebritatem etiam in vita civili cupientis, quando id in *Bulla Aurea*, quæ hucdum Romani Imperii lex eſt fundamentalis, ſancivit, ut Septemviri, ſeu Electores omnes ac ſinguli ſlavice & loqui & ſcribere ſcirent. (*e*)

§. VIII. Cave autem exiſtimes Benevole Lector! nuper demum, aut levi aliquo negotio has perfectiones Linguæ Slavicæ conciliatas eſſe: inde ab antiquis temporibus, multis virorum ex na-

bliotheca Pragenſi Codex Slavonicus, Venetiis 1626, 4ta Maji editus, hac inſcriptione inſignitus: *Epiſtole i Evangelia* &c. excuſus charactere Latino, in quo ritus præterea Sacri juxta Miſſale Romanum continentur. Miſſalis Ritus Slavo-Græci recentiſſima ſimul & emendatiſſima eſt editio ea, quam a. 1741 Clar. vir Matthæus Caramanus Archiepiſcopus Jaderæ adornavit, qui ſimul Cathalogum Librorum Slavo-Gcæci Ritus Aſſemanno dedit, quem Fr. Fort. Durich *cit. Diſſert.* pag. 18 refert.

e) Plura de Gloria Slavicæ Linguæ dabunt: F. Angelus Rocca in libro Romæ impreſſo, cui titulus: *Bibliotheca Vaticana.* Martinus Quiatcovius de Rozicze in libro *de utilitate Linguæ Slavonicæ*, Regiom. 1569 in 4to Genebrardus Doctor Paris. Lib. 1. Cornelius a Lapide in Cap. 11. Geneſis pag. 239. Balbinus *Epit.* L. 1. *Miſcell.* L. III. Raynaudus Tomo XI in fine. Similes laudes lege in præfat. ad Gramm. Roſæ & Pauli Doleſchal, in Peſſina, & in aliis.

natione Slavica eruditorum, Bohemorum imprimis, Polonorum, & Ruſſorum, vigiliis & laboribus crevit ſimul Linguæ decus.

§. IX. *Bohemorum*, ab anno maxime 1533, in Lingua Slavica excolenda ſtudium notius eſt, quam ut mea egeat commendatione. Quis enim neſcit, nullum eſſe ſive ſacræ, ſive profanæ eruditionis genus, quod illi Lingua ſua patria non pertractaſſent? (*f*) His fere pares erant in ſtudio Lin-

f) Cathalogum Librorum Bohemica Lingua editorum, per varias eruditionis partes, publicæ lucis facit nunc Pragæ D. Unger, vir nomine tantum & laudabili fama mihi notus. Pars operis 1ma libros ad exegeſim Sacram pertinentes recenſens, prodiit jam anno proxime præterlapſo reliquæ adhuc ſunt ſub prælo. Ad inſtitutum noſtrum pertinent *Grammaticæ*: Mag. Matthæi Colin, Pragæ 1564. M. Benedicti Nudozerini, ibid. 1603. P. Drachovſzky e S. J. Olomucii, 1660. Proſequitur is partes Grammaticæ omnes, ac fuſe imprimis atque erudite tractat de arte Poetica Bohemorum, P. Georg. Konſtantil e S. J. Pragæ, 1667. Matth. Steyer S. J. ibid. 1668. Wencesl. Joanis Roſæ. ibid. 1672. Wencesl. Jandit, ibid. 1704. Grammat. Ling. Boh. ibid. apud Wuſſin 1715. Gramatyka Cžeſká w dwogj Střánce, Ortograhia predkom, Etymologia potom, wytiſſ. w Náměſſti, 1553, reimpreſſa Vetero-Pragæ 1588, auctore Benedicto Optato verbi Divini præcone, & Petro Kzel Pragenſi adoleſcentiæ Moderatore. Wyborné dobrý Spůſob, yak ſe má dobře po Czeſku pſáti neb tiſknauti. wytažený z Czeſké Biblj. wyt ſt. w Praze 1668. W. S. V. G Czechořečnoſt ſkrze Girjka Petrmanna w Preſſpurku u Simona Petra Webera 1783. Neuverbeſſerte bömiſche Gramatik verfaßt von Joh. Wenzel Pohl, Wienn 1783. Kurzgefaßte bömiſche Sprachlehre von Karl Ignatz Tham, Prag und Wienn in der Schönfeldiſchen Handlung 1783. Dictionarium grande Bohemicum Adami de Weleslavina Pragæ 1598. Joh. Karl bömiſch-lateiniſch-und deutſches

Linguæ Slavicæ *Poloni*, uti id innummerorum ſcriptorum, ſacrorum æque ac profanorum, facta cum cura variis in locis elucubratio ſatis ſuperque docet.

§. X. *Ruſſos* autem quod adtinet, ex quo potentiſſimus, ſummaque decorum fama celebratus *Princeps Michaelovizius* ſapientiſſimo ſane conſilio artem typographicam cum cineribus quaſi collapſam exeunte ſeculo ſuperiore apud eos erexit ac inſtauravit, tam erant in ſua lingua etiam atque etiam percolenda indefeſſi, ut non exiguus ſane pro illorum temporum conditione librorum numerus, eccleſiaſtici plerumque argumenti, ex Moſcuenſium officinis ejus auſpiciis prodiret. Præter ceteros Eccleſiæ libros, omnes propemodum, qui ab Eccleſia Ruthena recepti ſunt, Doctores Græci, totus *Chryſoſtomus* aliquot in folio ſat ſpiſſis voluminibus conſtans, *Baſilius* item *Magnus* (slavonice Bazil Weliki dictus), *Iſaacus Syrus*, Joannes *Climacus* (Leſtwica slavonice dictus,) *Ephrem Syrus*, aliique in folio plerumque editi, meroque Slavonico ſermone ſcripti tum temporis prodiere. (Vide *Bergium* Libro *de Eccleſia Ruthena*) Immo, qui usque ad *Petri I Magni* tempora ſacri æque,

Wörterbuch, 4 Theil in 4to, Prag 1764-68. Knjzka Slow ceſkých wilozených, odkud ſwûg Pocátek magi, gaký gegich geſt Rozum. Sepſaná od Kneze Mathauſſe Philonoma, Pjſare Konſyſtore Prazéke, a 1587 in 8vo Pragæ apud Georg Daczicenum, &c, &c.

ac profani libri prodierunt in lucem, omnes eodem idiomate puro ſcripti dicuntur; paucis tantum exceptis apud Friſchium capite V, *Hiſt. Slav. continua*: nimicum *Uloz'enie*, ſeu Corpore Iuris Ruſſici, & operibus Theologicis Simonis Polotski. Sed maxime ornatur atque excolitur Lingua hæc a *Libera Societate Ruſſica Moſcuenſi*, a 1771 Philologiæ Ruſſicæ cauſa, ad exemplum credo Italorum & Gallorum, inſtituta; quorum illi Academiam *della Cruſca*, iſti autem *Academie Francoiſe* Præſide celeberrimo viro Richelio ex præſtantiſſimis delicatiſſimisque ingeniis inſtituerunt, quorum ex arbitrio refigerentur vocabula, quæ ſeneſcerent, & nova, quæ præcudiſſet uſus, in honore haberentur. (g)

---

g) Noſtri inſtituti ſunt: *Grammatica Græco-S'avonica charactere Cyrillico*, Leopoli, 1519, in 8vo e Typographia Pædagogii Leopoli. Adami Bohorizh *Arcticæ horulæ ſuccifivæ de Latino Carniolana Literatura ad Latinæ Linguæ Analogiam accomodata*, Wittebergæ 1584, 8vo. *Grammatica major Slavonica*, 1651, in 4to Literis Cyrillicis in uſum Ruſſorum ad excolendam Linguam Slavonicam tota slavonice accuratiſſime ſcripta. *Manuductio ad Grammaticam Slavonicam*, 1696, Oxonii in Anglia ex Theatro Scheldoniano. *Alphabethum (Bukvar) Slavonico-Græco-Latinum*, 1701 Moſcuæ in 4to. *Grammatiki Slavenskya Pravilnoje Syntagma*, Moſcuæ, 1721; quod opus in compendium redactum, recuſum fuit in Novograd 1723. *Grammatica Ruſſica* Claris. Michaelis Lomonoſſow. Academiæ Scientiarum Petropolitanæ Socii, an. 1755 ruſſice primum edita, & porro germanica verſione Petropoli 1764 typis excuſa. *Grammatica Ruſſica in uſum Teutonicæ juventutis* an. 1773 Rigæ, in 8vo, opera Jacobi Rodde. Weiſsmanni *Germanico-Latino-Ruſſicum*, & aliud *Ruſſico-Gallicum Lexicon*. *Dictionarium trilingue*, hoc eſt *Dictionum, Slavonicarum, Græcarum & Latinarum Theſaurus, ex variis antiquis & recen-*

§. XI. *Croatæ* quoque & *Dalmatæ*, ac alii Slavicæ nationis populi eousque ad minimum in ſtudio Linguæ Slavonicæ ſunt progreſſi, ut ſint libris uſui ſive ſacro ſive profano neceſſariis, puta: *Grammatica*, *Dictionario*, *Scriptura Sacra*, & nonnullis *Orationum Sacrarum* exemplis, dialecto ſua vernacula elucubratis, proviſi. Soli *Pannonii Slavi*, ex cauſis forte alibi a me allatis, (*h*) adeo inertes fuere, ut hucdum in culturam dialecti Slavicæ, ſibi ſolis propriæ, nihil omnino in publicum proferrent: (*i*) licet, ut alia tacitus prætеream, inter omnes, quæ exiſtunt, Slavicas dialectos in idiotismo & elegantia nativa Matri Linguæ

tioribus libris collectus, & *juxta Slavonicum Alphabethum in ordinem diſpoſitus*, a Stephano Javorſzky Razanenſi Metropolitano, & Raphaele Kraſznopolſzky Rectore Scholæ Slavo-Latinæ Moſcuæ, & Fratribus Lichudis Cephalenenſibus Monachis compoſitum, a 1704, in 4to. *Tzerkovnij Slovjari* auctore Petro Alexiew typis Univ. Moſcuens. 1773, in 8vo; in quo Lexico Eccleſiaſtico ætymologia Slavonicorum antiquorum & peregrinorum vocabulorum in S Scripr. & libr. eccleſiaſticis occurrentium exponitur. De reliquis huc ſpectantibus libris antiquis & recentioribus conf. Joan. Friſch *Hiſt. Ling. Slav. contin.* Berolini, 1727 in 4to; & Clariſſ. Hartm L. C. Bacmeiſter Ruſſiſche Bibliothek zur Kenntniß des gegenwärtigen Zuſtandes der Literatur in Rußland St. Petersburg, Riga, und Leipzig 1772-1776, in 8vo.

h) In Præfat. ad *Diſſert. Philo. Crit. de Lit. Slav.* &c. pag. IV.

i) Si quædam opuſcula, præceptis & illis etiam mancis e fontibus dialecti Bohemicæ hauſtis impleta, & Bohemorum magis, quam Pannoniorum Slavorum pronunciationi uſibusque accommodata demas, qualia ſunt: Zprawa pjſma Slowenſkeho od Tobiaſſe Maſnycyuſa, Leta 1696 w Lewoci. Prjwod ku Dobromluwnoſti Slowenſké; Prjwod ku Dobropjſebnoſti Slowenſkého Pij-

guæ proximior ſit; (*k*) non meo, quod forte aliquibus ſtudio partium adfectum videri poſſet, ſed virorum omni exceptione majorum judicio. Ita, ut ex multis paucos commemorem, Dalimil Moravus, Canonicus Vetero-Boleslovienſis, iis, qui in quæſtionem vocant, cur Hungariæ Slavis nomen *Slovák* adhæſerit, & non a fluvio Vago, vel Grano, ut Moravis, Hannatis, Ruſſisque denominatio ceſſerit? reſpondet: *His Hungariæ Incolis merito adhæſiſſe nomen Slovák, cum præcipue hi Linguam Slavonicam videantur retinuiſſe, atque cultiſſime loqui adlaborent, qui non obſtante commixtione populi poſt Regni ſui abolitionem nil in Slavoniſmo ſuo ab aliis Nationibus participant, verum penes genuinum idioma Slavonicum hodiedum manent.* Et Illuſtriſſ. Joan. Chriſtoph. de Jordan, S. R. Majeſtatis Hungariæ & Bohemiæ Conſiliarius Bohemico-Aulicus Libro de *Orig. Slav. &c.* Vien-

ſma, & Etiri Gruntowne Tabule ku Proſpechu Mládeži Slowenſkých Sſkol, w Trnawe 1780 &c. &c. &c.)

k) Sunt, qui inter mortuas, qualis Latina & Græca eſt, Linguam Slavonicam antiquam referunt, & in libris tantum ſuperſtitem eſſe credunt. Eruditus tamen Italus *Benedictus Varchi* in libro admodum raro quem *l' Hercolano* inſcripſit, Venet. 1570, 4. p. 93. Slavonicam ſimiliter ut Turcicam &c. vivis Linguis adnumerat, ſic ſcribens: *Lingue vive ſi chiamano tutte quelle, le quali da uno o piu popoli naturalmente ſi favellano, come la Turca, la Schiavona, l' Ingleſe* &c. Alii mediam ſententiam amplectuntur, & nec inter mortuas plane, nec vivas Slavonicam Linguam referunt. Qua de re quid ſentiendum ſit, eruditorum & conſummatiſſimorum Philologorum judicium eſto.

Viennæ 1738, Sect. 57, pag. 127 ait, *Hungaro-Slavonicam, ſeu Hungariæ Slovakonum dialectum inter omnes ad Slavonicam accedentes proximam Linguæ matri eſſe.*

§. XII. Hæc ego ſæpius volvens atque conſiderans, haud difficulter nonnullorum fama doctrinaque eminentium virorum, identidem me cohortantium, auctoritate conſilioque ſum adductus, ut mea qualicunque opera ac induſtria pro mei ingenii modulo domeſticæ huic inopiæ ſubvenirem. Quapropter ante omnia vagam & incertam hucusque ſcribendi rationem ad regulas rite conſtitutas revocaturus, publicæ lucis feceram typis à Landererianis, Poſonii a 1787mo, *Diſſertationem Philologico-Criticam de Literis Slavorum, de diviſione illarum, nec non accentibus, cum adnexa Linguæ Slavonicæ per Regnum Hungariæ uſitatæ compendioſa ſimul & facili Orthographia*, Patriorum Philologorum nomine inſcriptam, quia nonniſi poſt [diuturnas cum eruditis viris diſceptationes, approbationesque concinnatam. Nunc autem multorum votis diu deſideratam *Grammaticam Slavicam* edo, uſui eorum, qui Linguam hanc ſive diſcere, ſive etiam ulterius excolere volent, deſervituram. Is quippe inter præcipuos ſcriptionis meæ finis eſt, ut ad majora Patriæ præſtanda excitem alios; quia inventis addere & unius inventi occaſione invenire aliud, non eſt dificile. Immo, ſi quis vel regulis hic traditis alias adhuc

ad-

addere, vel catalogum exceptorum augere, vel novas etiam exceptiones formare, aut erratis noſtris animadverſis ea detegere vel confutare volet, haud moleſte feremus; dummodo veritati & bono publico conſulatur. Nondum enim hoc pro opere omnibus numeris abſoluto vendito: utpote qui ſolus unicus haud ſufficio omnes ad anomaliam referendas colligere voces. Interim tamen adfirmare auſim, nihil hic deeſſe, quod ad accurate ſcribendum, loquendumque in hac Lingua jure requiritur; nec quidquam additum eſſe, quod Lectorem prudentem, & præjudiciis carentem confundere valeret.

Utere itaque hoc labore meo in tuum, proximique tui commodum, Benevole Lector! ut inde fructus in Rempublicam, inprimis ſanctiorem, redundare, & gloria DEI promoveri poſſit. Vale.

Dabam in oppido Csekléſz prope Poſonium, Kalendis Januarii, anno reparatæ ſalutis milleſimo ſeptingenteſimo octuageſimo nono.

Digitized by Google



BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO.EMANUELE

GRAMMATICA SLAVICA

INTRODUCTIO

Grammatica Slavica Dobromluwnoſt ſlowenſká liber eſt, quo ars continetur slavice bene legendi, loqueudi, & ſcribendi; dividitur in quinque partes: *Orthœpiam* Dobročítanliwoſt, *Etymologiam* Slowpremeňeni, *Syntaxim* Slowſpogeni, *Proſodiam* Dobrowiſlownoſt, & *Orthographiam* Dobropiſebnoſt.

PARS I.

DE ORTHOEPIA.

Orthoepiæ nomine ea pars Grammaticæ venit, quæ literas una cum accentibus ſuis

Digitized by Google

cognoſcere, rite pronunciare, & diſtribuere in ſyllabas, ac tandem voces inde ortas recte legere docet: quæ quinque Orthoepiæ objecta totidem capitibus abſolvemus.

CAPUT I.

De Literis & earum diviſione.

§. I. Literæ Slavis uſitatæ, ac neceſſariæ una & viginti numerantur: Aa, Bb, Cc, Dd, Ee, Ff, Gg, Hh, Ji, Kk, Ll, Mm, Nn, Oo, Pp, Rr, Sſ, Tt, Uu, Ww, Zz. (*a*)

a) Confer *Diſſertationis* noſtræ Philologico-Criticæ *de Literis Slavorum &c.* totum Cap. I, & Cap. III §. III; ubi docuimus, Literas: J conſonantem, j liqueſcens, Qq, s, ß, Vv, Xx, Yy, eſſe & Alphabetho Slavico prorſus expungendas, ac loco earum G, i, Kk, ſ, ſ, Kſ kſ, Ji ſemper & ubique adhibendas.

§. II. Dividuntur in Vocales & Conſonantes. *Vocales* (Samohláſné) ſunt quinque: Aa, Ee, Ji, Oo, Uu, ratione toni brevioris vel longioris in *breves* (krátké), & *longas* (dluhé) ſubdiviſæ. Breves ſunt ſuapte natura omnes; ideo dum longiter pronunciandæ veniunt, ſigno, quod accentus acutus audit, (Aá, Eé, Jí, Oó, Úú inſigniuntur.) (*b*)

b) Adiſis *cit. Diſſ.* Cap. II §.§. 3, 4, 5 & 6: ubi rejecimus Vocalium in *ſimplices* & *compoſi-*

tas

tas, ſive *diphtongos occultas*, *firmas* & *concretivas* diviſionem.

§. III. Ceteræ appellantur *Conſonantes* (Spoluhláſné); quia nonniſi vocalibus junctæ clare, diſtincteque ſimul ſonant: & generatim in molles, ac duras diſtribuuntur. (*c*)

c) Malam eſſe Conſonantum in *duplices* diviſionem, *cit. Diſſ.* Cap. II §. 12 oſtenſum fuit.

§. IV. *Mollis* (makká) natura ſua conſona eſt apud Pannonios Slavos ſola Gg litera, quæ in paucis admodum vocabulis, & illis etiam maxime peregrinis, dure, ſicut *gamma* Græcorum, efferi, ac propterea tali caſu punctuari conſvevit. (*d*) Reliquæ omnes ſunt *duræ* (twrdé), in ſemivocales, liqueſcibiles ſeu liquidas, & mutabiles ſubdiviſæ.

d) Sunt, qui Literam Gg, exemplo aliarum Europæ nationum, pro exprimendo duntaxat ſono duro adhiberi velint, & pro expreſſione ſoni mollis, *Jotta* in Alphabethum Slavicum introduci. Sed nulla ratione a me impetrare poſſum, ut iſtud recte fieri poſſe mihi perſvadeam. Sua enim ſemper illi principio conſtare veritas debet: *Non eſſe* videlicet *Alphabethum pluribus literis onerandum, quam quæ ad quoſcunque ſonos in Lingua occurentes rite exprimendos plene ſufficiant.* Jam vero ſola litera Gg utrumque ſonum, & *durum* raro occurentem punctuata, & *mollem*, qui ei inde ab ætate typographica proprius eſt & naturalis, ac frequentiſſime occurit, ſine ullo ſigno quam accuratiſſime exprimit;

Digitized by Google

mit; niſi ergo entia ſine neceſſitate multiplicanda ſint, quod recte rationis principium fieri vetat, ſonus mollis a litera Gg avelli, & pro illius expreſſione *Jotta* in Alphabethum Slavicum introduci nequit. Dein: ſi in ſono Gg duro, atque *Jotta* in Alphabethum Slavicum introducendo conformitas Literarum Slavicarum cum aliis Europæ nationibus quæritur, jam auctor ſim Slavis; ut potius derelictis omnibus, quas nunc cum Germanis duntaxat & Bohemis ac Moravis communes habent, literis, reſummant reliquis omnibus totius Europæ nationibus uſitatas literas latinas, ineunte ætate typographica a ſe ſine ulla ſolida ratione deſertas, adoptentque hungaricam ſcribendi rationem, ceu ex omnibus aliis ſibi, ut Cap. III. hujus Partis docebit, convenientiſſimam: quam ipſe quoque hac in Grammatica ſecutus fuiſſem, ſi tantæ mutationis primus dux & author exiſtere voluiſſem.

§. V. *Semivocales* (Polohláſné) ſunt Ll & Rr, quæ in defectu literæ vocalis ex ſeipſis etiam ſyllabæ neceſſarium tonum dare, ac commode ſatis exprimi queunt; ut ex vocibus Plt *ratis*, Prſt *digitus*, &c. colligere licet.

§. VI. Conſonantes Čč, Ďď, Ľľ, Ňň, Šſ̌, Ťť, Žž alii *molles* appellant, mihi eas *Liqueſcibiles* ſeu *Liquidas* (ťekúcé) nominare placet; quia in certis caſibus, ex uſu potiſſimum diſcendis, tonum lenem in ſe ipſis recipiunt, ac quaſi liqueſcunt; ideo tum ſemper ſigno ſeu accentu liquido inſigniendæ, ut

Digitized by Google

ut ab ipſis duris Cc, Dd, Ll, Nn, Sſ, Tt, Zz, quarum longe alia pronunciatio eſt, rite diſtinguantur. (*e*)

e) Male in numerum harum literarum referri a Grammaticis Bohemis conſonantes Bb, Ff, Mm, Pp, Rr, Ww, *cit. Diſſ.* Cap. I, §. 9 probatum fuit.

§. VII. *Mutabiles* (Preměnitedelné,) alias *Transformativæ* dictæ conſonantes, quæ in flexione, derivatione, aut compoſitione Nominum & Verborum molliorem ſonum affectantes in alias plane literas permutantur, ſunt ſequentes:

h		z, vel ž; ut:	Noha Noze, luhať lužem, Boha boží.
ch		ſſ;	Mucha Muſſe, Strecha Streſſe.
k	in	c, vel č;	Ruka Ruce, plakať plačem.
t		c;	treſtat treſcem.
z		ſ;	Z Bratom, ſ Pánom zoral, ſpíſal.

CAPUT. II.

De Accentibus Literarum.

§. I. *Accentus* (Hlaſuznak, Prizwuk) in genere nihil aliud eſt, quam toni extraordinarii in enunciatione alicujus literæ (vel

Digitized by Google

potius ſoni, quem litera exprimit) occurrentis indicium: qualis cum in Lingua Slavica triplex occurrat, longus ſeu acutus, liquidus vel, ut aliis placet, mollis, aſper denique ſeu durus; hinc accentu triplici, acuto videlicet, liquido & aſpero Slavi opus habent. (*f*)

f) Superfluum eſſe apud Slavos *accentum circumflexum* ſupra ê, & *rotundum* ſupra ů collocari ſolitum, *cit. Diſſ.* Cap. II §. 6, & Cap. III §. 5 demonſtratur.

§. II. *Accentus acutus* ſeu *longus* (dlúhi Prízwuk) deſignat eam, cui ſuperpoſitus eſt, vocalem acuto ſeu longo tono eſſe proferendam, ut: Pán *dominus*, wézt *vehere*, Hrích *peccatum*, Bóh *Deus*, Múka *farina.* (*g*)

g) Vocales longas non bene geminari ad indicandum earum tonum longum, maleque loco *í, ó, ú* accentuati poni *j, uo, au ů*, *cit. Diſſ.* Cap. I §. 6, Cap. II §-§. 5 & 6. Cap. III §. 2 probatur.

§. III. *Accentus liquidus* (Prízwuk tekúci,) aliis *mollis* vel *lenis* dictus, deſignat conſonantem, cui incumbit, liquide eſſe pronunciandam: cujuſmodi pronunciatio cum nonniſi ſeptem literis conveniat, Ćć, Ďď, Ľľ, Ňň, Śś, Ťť, Źź, a nobis Cap. I §. 6 *liquidis* dictis; patet, has nonniſi conſonantes, dum liqueſcunt, rite ac neceſſario (*loc. cit.*) accen-

Digitized by Google

centu liquido notari, ut: čiňeňkiwi *actuoſus*, Medwed *urſus*, Sati *veſtes*, Tatik *parens*, Železo *ferrum*. (*b*)

b) Perperam hunc accentum a Pannoniis Slavis ſuper ǩ collari, *cit. Diſſ.* Cap. III §. 3. probat, & differentiam inter y & i a Grammaticis Bohemis pro deſignanda conſonarum duritie, vel mollitie ſive liqueſcentia ſtatutam, eſſe 1mo ſuperfluam, 2do literarum vocalium naturæ contrariam, 3tio denique rectæ rationi adverſam Cap. I. §.§. 8, & 9 ſolide non minus, ac clare demonſtrant.

§. IV. *Accentus aſper* ſeu *durus* (Prizwuk twrdi) eſt, qui deſignat eam, cui ſuperponitur, conſonantem aſpero & duro tono eſſe proferendam. Quia autem durus & aſper tonus omnibus conſonantibus proprius eſt & naturalis, unica litera G g dempta, quæ natura mollis eſt (Cap. I, §. 4); hinc accentus aſper nonniſi ſupra Ǧǧ, dum dure efferi debet, recte ac neceſſario collocatur, ut: Ǧagdi *lyripipium*, Ǧrunt *fundus*.

CAPUT III.

De Pronunciatione Literarum per collationem cum aliis Linguis.

§. I. *Vocales* apud Pannonios Slavos, utpote natura ſua breves, ſemper breviter efferun-

runtur, niſi ſint accentu acuto notatæ; quo caſu longiter, ut apud Hungaros, pronunciantur, v. g. ſú *ſunt*.

§. II. Gg *conſonans* apud Slavos ſuapte natura *mollis*, dum ſine àccentu eſt, pronunciatur ſicut *jotta* Latinorum, Hungarorum & Germanorum, in *jambus*, &c: *járok*, &c. jener &c. e. g. G'zeſ, Gėžiſ, &c. Dum vero accentu duro notatur, ſicut *gamma* Græcorum, vel *g* Latinorum, Hungarorum & Germanorum, in *gannio*, &c. *gomb*, &c. Gang &c. effertur, ut. Huſ gágá.

§. III. *Duræ conſonantes*: Bb, Dd, Ff, Hh, Kk, Mm, Nn, Pp, Rr, Tt, Ww ſono aliis Linguis, puta: Latinæ, Hungaricæ, Germanicæ, Gallicæ, Italicæ, &c. uſitato gaudent. Reliquæ

Cc	pronunciantur, ſicut	*c* Latinorum ante *e*, *i*, *y*, *oe*, in *Cicero*, *cyclus*, *cœcus*; vel Germanorum z, tz, in zehlen, Geſetz; aut Hungarorum *tz* in *tzigány*, &c. ut Ciň *ſtannum*, Céra *filia*.
Ch, ch		*chi* Græcorum vel Latinorum ch in *chaos*; v. g. Chromí ňechodí, ale chrchle a chrápe.

Ll	pronunciantur, ſicut	*l* Hungarorum ante *a*, *o* in *lakadalom*, vel ll Germanorum in fine in Schall, ut: lámala Ľubi na Ľawe.
Sſ		*ſz* Hungarorum in *ſzarvas*, vel Germanorum ß finale in Faß, daß; e. g. Siſli zaſipá.
Zz		*z* Hungarorum in *zab*, vel Germanorum ſ intra duas vocales in Weſen, ut: Zuſka *Suſanna*. In fine tamen poſt d poſitum z, ſonum literæ c habet; hinc Moſadz, lege: Moſadc.

§. IV. *Conſonantes liquidæ.*

Čč	efferuntur, ut Hungarorum	*ts* in *tsak*;	e. g.	Čelo *frons*.
Ďď		*dy* *mondya*;		Meď. *cuprum*.
Ňň		*ny* *nyúl*;		Protiwňik *adverſaruis*.
Šš		*s* *ſas*;		Šwec *ſutor*.
Ťť		*ty* *attya*;		ťenki *tevuis*.

Ľľ pronunciatur, ſicut *l* Hungarorum vel Germanorum, *i* vocali ſequente in *liſzt*, lieben &c, ut: Ľep *viſcus*, ľibežni *amoenus*.

Žž initio & medio vocum effertur, ut *j* Gallorum in *jeun*, aut zs (z') Hungarorum in zsák (z'ák), ut: žilowati *artuoſus*, ležj *jacet*. Ž finale

ut

ut ſ Slavicum, vel *s* Hungaricum in *sós* pronunciatur, v. g. Muž *vir*.

CAPUT IV.

De Literarum in ſyllabas diſtributione & Syllabiſatione.

§. I. Vocalis, aut (quod ſolum apud Slavos obtinet) in illius abſentia ſemivocalis, quæ ſola vel cum aliis literis ſimul pronunciatur, *Syllaba* appellatur. (*i*) Unde quot in aliqua voce occurrunt vocales, vel in illarum abſentia ſemivocales, tot ſunt etiam in eadem ſyllabæ, e. g. má-lo-mi-ſl-ní *puſillanimis*; qua in re ut recte procedatur, ſequentes regulæ ex data ſyllabæ definitione deductæ, in diſtributione literarum ſunt obſervandæ.

i) *Syllaba Dura* dicitur, in qua conſona vocalem præcedens dura eſt, ut: ſi-nowſki *filialis*; *Liquida*, in qua conſona vocalem præcedens liquida eſt, ut: činit *facere*; *Semivocalis*, quam litera ſemivocalis conſtituit, ut: Wlna *lana* *Longa* dicitur, quæ continet vocalem longam, ut: Pán *dominus*; *Brevis*, quæ brevem, ut: Poſel *nuncius*.

§. II 1. Duæ ſimul ſtantes vocales disjunguntur, ut: ňe-u-če-ni *indoctus*, Pi-uſ *Pius*.

2. Unica conſonans inter duas vocales poſita ad poſteriorem pertinet, ut: ga=ko *quomodo?* Pá=ňi *domini.*

Excipe compoſita ex præpoſitionibus nad, od, pod, roz *orta, v. g.* nad=ist *intervenire*, od=iſt *abire*, pod=uſ=čeſni *aliquantum doctus*, roz=iſt *diſcedere.*

3. Conſonarum geminatarum prior ad priorem, poſterior ad poſteriorem ſyllabam pertinet, ut: Pan=na *virgo*, Pod=daná *ſubdita*, od=dá=lit *removere.*

4. Conſonantes diverſæ, quæ nullius vocis initio ſimul ſtare poſſunt, etiam in medio disjunguntur, ut: ſlad=ki (non ſladki) *dulcis*, pán ſki (non pá=nſki) *dominalis*, e=gipt=ſki (non e=gi=ptſki) *ægyptius*, &c. Si autem ad initium vocis alicujus conjunguntur, ſunt etiam in vocis medio conjungendæ, ut:

O=chla=dit *frigefacere.*	Quia dici poteſt	Chl. Chládek *umbra.*
O=hňi=wi *igneus.*		Hn Hňilí *putridus.*
Pre=mlu=wit *proloqui.*		Ml. Mlin *mola.*
Re=ptat *blaterare,*		Pt. Pták *avis.*
U=ſkok *transfuga.*		Sk. Skok *ſaltus.*
Pru=tkí *præceps.*		Tk. Tkáč *textor.*
Pra=wda *veritas.*		Wd. Wdowa *vidua.*

Excipiuntur ab his compoſita ex præpoſitionibus ſub Regula 2 allatis, quæ ſicut componuntur,

ita

ita etiam ſeparantur, e. g. nad-lo-žit *adjicere*, od-no-ſit *absportare*, pod-lo-žit *ſubponere*, roz-lu-čit *ſeparare*, roz-dě-lit *diſtribuere*, Roz-dil *diſtinctio*.

5. Simul ſonantes conſonantes ch nunquam, nequidem in fine lineæ ſeparantur, ut: Po-chwala (non Poc-hwala) *laus*, po-cho-wat (non poc-ho-wat) *ſepelire*.

6. Conſonarum plurium vocali deſtitutarum literæ ſemivocales l & r vicem vocalis obeunt, ut: o-pa-tr-ni *providus*, ml-čan-li-wi *ſilentioſus*.

7. Unica vocali vel ſemivocali præſente, omnes in voce conſonantes cum ea conjunguntur, ita, ut vox talis unica ſyllaba conſtans nullibi, conſequenter nec in fine lineæ, dividi poſſit, v. g. Tluk *tigillum*, tráſt *agitare*, Pán *dominus*, Peň *truncus*, Smrt *mors*.

§. III. Qui has regulas de literis in ſyllabas diſtribuendis datas obſervat, ac ſimul omnes in una ſyllaba poſitas literas ſingillatim nominat, eas clare & conjuncte pronunciat, denique in vocibus polyſyllabis ſyllabas præcedentes repetit, in hunc modum e. g. in Sin, S i n Sin; in Wlk, W l k Wlk; in Baran, B a ba, r a n ran, Baran; &c. is *ſyllabiſare* dicitur.

Digitized by Google

CAPUT V.

De Lectione.

§. I. *Legere* ſignificat omnia occurrentia vocabula & locutiones voce naturali ac moderata, fluide, clare & debite pronunciare. Hunc in finem

§. II. *Regulæ bene legendi vocabula ſingillatim.*

1. Omnes in vocabulo aliquo literæ occurrentes clare & ordinate ſunt prunciandæ, ac ſyllabæ ita proferendæ, prouti earum ſive brevitas ſive longitudo, ſive durities ſive liquiditas depoſcit. Quare, quæ vocalibus brevibus conſtant, ſine mora; quæ vocalibus longis, cum mora; quæ conſonantibus liquidis, ore liquido, & leni; quæ denique duris, ore craſſiori pronuncientur.

2. In pronunciatione Syllabarum apud Slavos, more Hungarorum, ibi tantum eſt tonus, ubi vocalis longa occurit, ut: Dúf=fá=ñí *ſpes.* Hinc vocalis ante plures conſonas poſita, etſi in verſu longa eſſe poſſit, cum tono tamen pronunciari non poteſt, niſi natura longa ſit, & accentu acuto notata, ut: Dar=mo=tlach, non Dár=mó=tlach.

Digitized by Google

3. Ubi in voce *Apoſtrophus* (') occurrit, vocalem *i*, vel ſyllabam eg euphoniæ cauſa exmiſſam ſignificans, e. g. in·bol biſ' bohat'ſi (loco bol biſi bohategſi), ibi pronunciatio nihil peculiare habet. Sed *Signum Diviſionis* (=) ducit Lectorem aut ad vocabulum ſequens, aut ad lineam, ut ſyllabas verbi diviſas ſimul legat, v. g. ciſarſko=krá cowſ'i Dom *Cæſareo-Regia domus*, Dobro=a Pekno-Piſebnoſt *Ortho-& Cali-graphia.*

§. III. *Regulæ bene legendi vocabula conjunctim*

In vocabulis pluribus ſimul & conjunctim legendis, 1 quoad interſtitia ſive pauſas, 2 quoad mutationem vocis, 3 quoad expreſſionem affectum eſt attendendum.

1. *quoad interſtitia ſive pauſas*:

Ad *comma* (,) tamdiu ſiletur, dum dici poteſt *ſemel*; ad *media nota* (;), dum dici poteſt *ſemel*, *bis*; ad *duo puncta* (:), dum dici poteſt *ſemel*, *bis*, *ter*; ad *punctum* (.), dum dici poteſt *ſemel*, *bis*, *ter*, *quater*. Ad *pauſam* (—) diutiſſime ſiletur, ut Lector tempus habeat ad recogitandum.

2. *quoad mutationem vocis*:

Ad *comma*, *media nota*, & *duo puncta* vox paululum immutatur, ad *punctum* autem

ca-

Digitized by Google

cadit: ad *ſignum interrogationis* (?) aliquantum attollitur, ad *ſignum* vero *exclamationis* (!) lenta, ſed gravis adhibetur. *Parentheſi* () |: :| incluſum plerumque voce depreſſa, & accelerata, ad *ſignum citationis* („) altiori fortiorique, ad *ſignum* autem *adnotationis* (*, *a*, *b*, *c*, &c. 1. 2. &c.) depreſſa & lenta legi debet. *Paragraphus* (§) voce paululum demiſſa inchoatur, quæ deinde elevatur.

3. *quoad expreſſionem affectuum.*

Cujuslibet locutionis ſenſus expreſſione affectuum clarus eſt reddendus. *Ira* petit vocem ſublimem, citam, gravemque; *amor* ſuavem & amœnam; *timor* debilem & tremeſcentem; *triſtitia* feſſam & dormitantem; *odium* aſperam indignantemque; *gaudium* hilarem & vivacem; *commiſeratio* denique flebilem & lentam.

§. IV. *Media perfecte legendi.*

Qui regulas hoc capite circa lectionem datas frequenti uſu ſibi reddiderit familiares, audierit homines bene loquentes & eos legendo fuerit imitatus, denique ea, quæ publice ſunt legenda, prius attente relegerit, & attenderit ad intentionem authoris, is *perfecte legere* ſciet.

PARS II.

Digitized by Google

PARS II.

DE ETYMOLOGIA.

INTRODUCTIO.

§. I. Ex *Literis* Par. I, Cap. I conſideratis *Syllabæ*, de quibus ibidem Cap. IV actum, componuntur. Ex Syllabis variæ ſpeciei *Vocabula*, ſigna cogitationum noſtrarum articulata, proveniunt; quæ ſi invicem connectantur, & ſenſum habeant perfectum, ſermonem ſive *Orationem* conſtituunt: unde etiam *partes orationis* rite nuncupantur. Harum orationis partium varias ſpecies rite internoſcere, & declinare ſive flectere, quæ ſunt flexibiles, pars præſens Grammaticæ, latius *Etymologia* dicta, docet.

§. II. *Partes Orationis* in Lingua Slavica ſunt ſeptem: Nomen, Pronomen, Verbum, Præpoſitio, Adverbium, Interjectio, Conjunctio.

Harum tres: Nomen, Pronomen, Verbum, in conjunctione cum aliis vocibus varias declinationes ſive flexiones admittunt; reliquæ: Præpoſitio, Adverbium, Interjectio, Conjunctio, ſemper indeclinatæ manent.

SECTIO II.

Digitized by Google

SECTIO I.

DE PARTIB. ORATION. DECLINABILIBUS.

CAPUT I.

De Nomine Subſtantivo.

§. I. *Nomen* (Méno) eſt pars orationis declinabilis, qua rem definitam, aut rei qualitatem vel poſſeſſionem indicamus, v. g. Nebo *coelum*, Zem *terra*, Dom *domus*, ſunt res definitæ. Welkí *magnus*, pekní *pulcher*, ſunt voces rei certæ qualitatem indicantes. Triplex autem nomen datur, nomen videlicet ſubſtantivum, adjectivum & numerale.

§. II. Nomen *Subſtantivum* (Méno podſtatné) eſt, quo perſona, aut res quæpiam nominatur, vel quid ſit, exponitur. Dicitur ita ideo, quia per ſe jam definitum quid, ac certum deſignat, & in oratione ſolum collocari poteſt, v. g. Wrch *mons*. Dividitur in proprium, appellativum, & collectivum.

§. III. Nomen *Proprium* (wlaſtné Méno) eſt, quo unica tantum, certa & ſingularis res, vel perſona nominatur. Ita v. g. Peter *Petrus* eſt nomen perſonæ proprium, quod non omnibus hominibus tribui ſolet. Sic etiam: Dunag *danubius*, Olomúc *Olomuci-*

 um,

um, Preſporek *Poſonium*, Rakúſe *Auſtria*, ſunt nomina propria, quia tantum unico fluvio, unicæ urbi & regioni convenientia.

§. IV. Nomen *Appellativum* (Newláſtné aneb obecné Méno) eſt, quod exprimit perſonam, vel rem multis aliis ejusdem ſpeciei communem. Ita vox Swec *ſutor* eſt nomen appellativum, omnibus, qui calceos conficiunt, commune. Hujus nominis ſpecies ſunt: Nomen *Gentile* (Méno národné), quod gentem vel nationem indicat, ut: Nemec *Germanus*, Slowák *Slavus*, Uher *Ungarus*, &c. & Nomen *Patrium* (kraganſké Méno), quod patriam denotat, v. g. Orawec *Arvenſis*, Preſporčan *Poſonienſis*, Widenčan *Viennenſis*, Riman *Romanus*, &c.

§. V. Nomen *Collectivum* (množné Méno) collectionem, ſeu multitudinem rerum vel perſonarum ſignificat, v. g. Lud *populus*, Hromada *cumulus*, Národ *natio*, *genus*, Pokolení *generatio*, Wogſko *exercitus*, Záſtup *turba*.

§. VI. Ad varias nominis Subſtantivi ſpecies revocari etiam poteſt Nomen *Diminutivum* (zmenſugice Méno), quod ſignificationem ſui primitivi imminuit, ut: Okenko *feneſtrella*, ab Okno *feneſtra*. Horum

rum Diminntivorum variæ ſunt terminationes; *in* ek, ut: Sin Sinek, Holub Holubek, Matúſ Matúſek, Zagác Zagáček, &c. *In* ík, ut: Král Králík, Koſ Koſík, Uzel Uzlík, Oſel Oſſík, Peſ Pſík, &c. *In* ka, ut: Anna Anka, Beta Betka, Dora Dorka, Pila Pilka, Perina Perinka, &c. *In* enka, ut: Milá Milenka, Panna Panenka, Studňa Studenka, &c. *In* ica, ut: Paňwa Paňwica, &c. *In* ička, ut: Paňi Paňička, Sukňa Sukňička, &c. *In* a, ut: Kňez Kňaža (Kňiža), Chlapec Chlapča, Pacholek Pachola, Kozel Kozla, Dgewka Dgewča, Huſ Huſa, Odmeňec Odmenča, Kura Kurča, Kobila Zreba (Zriba), Krawa Těla, Owca Gahňa (Baranča), &c. *In* ko, ut: Drewo Drewko, Slowo Slowko, &c. *In* ečko, ut: Srdce Srdečko, &c.

§. VII. Apud Slavos dantur etiam *Diminutiva Secunda a Primis* orta. *In* áček, ut: Sinek Sináček, &c. *In* eček, ut: Holubek Holubeček, Wolek Woleček, &c. *In* íček, ut: Králík Králíček, Mužík Mužíček, Pſík Pſíček, &c. *In* ečka, ut: Panenka Panenečka, Perinka Perinečka, Pilka Pilečka, &c. *In* ička, ut: Anka Aňička, &c. *In* ečko, ut: Drewko Drewečko, Okenko Okenečko, Pradenko Pra-

Digitized by Google

denečko, &c. *In* íčko, ut: Ganko Ganičko, Gurko Guričko, Očko Očičko, Úſko Úſička, &c. *In* átko, ut: Kozla Kozlátko, Huſa Huſátko, Tela Telátko, Holuba Holubátko, Oſla Oſlátko, &c.

§. VIII. A Diminutivis *Secundis* oriuntur *Diminutiva Tertia*. *In* ečeček, ut: Woleček Wolečeček, &c. *In* íčeček, ut: Mužíček Mužíčeček, &c. *In* ečečka, ut: Perinečka Perinečečka, &c. *In* íčečka, ut: Zena Zenka Zenička Zeničečka, &c. *In* íčička, ut: Anička Aničička, Panička Paničička, &c. *In* ečko, ut: Oſlátko Oſlátečko, &c, *In* íčko, ut: Očko Očičko, &c. (*a*)

a) Diminutiva Secunda maxime in uſu ſunt, & utimur eis pro primis, ſi in his dura occurrat conſonantia, aut aliqua vocalis multiplicetur. Prima non ubique, tertia itidem raro adhibentur; a quibus tamen haud abſurde formari poſſunt & *Quarta*, ſed joci cauſa tantum forte adhibenda, v. g. Očičičko, Oſlatečečko, Mužičečeček, Srdečečečko, Zeničičička.

§. IX. Ad Diminutiva tanquam eorum oppoſita referuntur *Nomina rem exaggerantia vel contemptum indicantia*, quæ ſine diſcrimine ab omnibus ſubſtantivis, ubi tamen uſus conſulendus eſt, derivantur, ac in iſko deſinunt, ut: Muž Mužiſko, Chlap Chlapiſko, Peſ Pſiſko, Baba Babiſko vel Babſko aut Babſco, Kurwa Kurwiſko,

ſko, Perňikár Perňikáriſko, Žena Ženiſko vel Ženſko, &c.

§. X. *Proprietates* (Wláſtnoſti *Nominis Subſtantivi* ſunt quatuor: Numerus, Genus, Caſus, & Declinatio.

§. XI. *Numerus* (Počet) in Lingua Slavica eſt triplex: *Singularis* gednáſobni, *Pluralis* wícnáſobní, & *Dualis* dwognáſobní. Singulari utimur, dum de una re, aut perſona (uti: Tabák Sluha), vel vero multitudine ſive collectione rerum, aut perſonarum ſermo eſt, ut: Pánſtwo *dominium*; Plurali autem, dum vel de pluribus rebus (ut: Páni *domini*), vel de ſingularibus quidem, ſed quæ numerum ſingularem reſpuant, (ut: Drážďani *Dresda*, Bátowce *Báth*, Preſerani) ſermonem habemus. Dualis, qui antiquis erat more Græcorum Slavis confinium familiaris, hodie uſum præſtat tantum in rebus, quæ a natura duæ ſunt, & hoc ſolum in duobus nominibus neutris Oko & Ucho, quæ cum Pluralem habeant Oka, Ucha, in Duali Oči, Uſi uſitatiora ſunt.

§. XII. *Genus* (Rod) ſervit ad diſtinctionem ſexus, & perinde, ut apud Latinos, triplex eſt: *Maſculinum* (muſki), *Fœmininum*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

(ženſki), & *Neutrum* (ňigaki). Cognoſcitur ex ſignificatione, & terminatione.

§. XIII. *Subſtantiva Generis Maſculini ſunt:*

1. Nomina virorum, officiorum & functionum viris propriarum, Dei ac Spiritum, ut: Antoň *Antonius*, Antoňin *Antoninus*, Gano, Guro, Gaňičko, Guričko, Muž, Otec, Brat, Zať, Mňich; Nemec, Rusňák, Sudec (Sudce), Piſar, Uradňik, Farár; Učitel, Meščan, Sedlák; Bóh, Andel, Archandel, Michal, Ráfael, Čert, Dábel; &c.

Excipe Nomina officii aut conditionis virilis Diminutiva terminata in *a*, átko, & iſko (Cap. I. §, IX), quæ generis neutrius ſunt, ut: To Kňiža, Pachola, Pacholátko, Chlapčiſko, Guriſko, &c.

2. Nomina deſinentia in g molle, ut: Dunag, Hág, Hnog, Lapag, Lokag, Rag, Predag, Zlodeg, &c.

Excipe fœminina: Kolag *orbita*, Običag *mos*, Obličag *conſpectus*, Zbrog *arma.*

3. Nomina exeuntia in conſonantes quaſcunque duras, excepta w; in quam terminata nomina ea duntaxat ſunt maſculina, quæ ſunt monoſyllaba, ut: Chléb, Dráb, Dub; Gazwec, Kupec; Súſed, Ged; Caſrang; Kalich, Kožuch; Dluh, Pluh; Ark, Krik, Krok; Orel, Siſel, Popel; Dom,

Digitized by Google

Dow, Hrom, Strom; Chren, Buben, Baran, Sen; Lep, Sklep, Snop; Dar, Gar, Mor, Sír; Čaſ, Klaſ, Oweſ, Peſ; Krt, Krſt, Ocet, Počet, Swet; Chléw, Lew, Hňew, Spew, Staw, et cetera ex w monosyllaba, ac polysillabum Wratiſlaw (*Wratislavia* Breßlau); Ratúz, Rozkaz, Mráz, &c.

Exceptio. Fœminina ſunt: Ex c: Wec, Obec, Moc, Noc, Nemoc, Pomoc. Ex m: Zem. Ex p: Otep. Ex r: Twár. Ex ſ: Huſ, Weſ *pagus*, Oſ. Ex z: Moſadz *æs*.

4. Nomina in liquidas ň, ſ̌, ž, terminata, ut: Kameň, Oheň, Koreň, Prameň, Hrebeň, Geleň, &c. Preſ̌, Salaſ̌, Mariáſ̌, &c. Gež, Nóž, Kríž, Muž, Smrž, &c.

Excipe Fœminina ex ň: Bázeň, Rožeň, Papgereň, Pracháreň, Stageň, Útgereň. Ex ſ̌: Miſ̌, Weſ̌, Faleſ̌, Rozkoſ̌, Peleſ̌. Ex ž: Réž, Kolomaž.

§. XIV. *Subſtantiva Generis Fœminini ſunt:*

1. Nomina mulierum, officiorum & ſunctionum muliebrium, ut: Alžbeta, Gohanka, Mariſ̌a, &c. Matka, Seſtra, Tetka, Strina, Žena, Panna, &c. Slowenka, Uhrinka, Polkiňa, &c. Baba, Dogka, Dgewka (Díwka), Uradňička, Záhradňička, &c.

Exceptio. Nomina officii aut conditionis muliebris diminutiva terminata in átko aut iſko, vel vero præcedentibus duris: b, l, r, ſ, vel quibuſcunque liquidis, ſunt generis Neutrius, v. g. Dgewčátko, (Diwčátko), Dgewčiſko, Dgewča (Diwča), &c.

2. Nomina in a deſinentia, ſi non ſint nomina virorum & virilium officiorum, aut diminutiva paulo ante commemorata, ut: Praha, Trnawa, Rožnawa, &c. Krčica, Ližica, Duſenka, Duſička, Duſa, Mucha, Stodola, Prachárňa, Bukiňa, Gelſina, Ceſta, Bitka, Kaplnka. &c.

3. Nomina pluralia tantum in a, e, i, terminata, ut: Uſta, Wráta, &c. Dweře, Geſle, Saňe, Hrable, Pomige, Huſle, Zhrebe, &c. Widli, Widlički, Otrubi, Sánki, Huſlički, Pačgeſki, Plewi, Mrawi &c.

4. Nomina in duram conſonantem w deſinentia, ſi ſint polyſillaba, ut: Mrkew, Retkew, Odew, Obuw, Okow, Ohlaw, Kaňew, Paňew, &c.

5. Nomina in liquidas č, ď, ľ, ť, exeuntia ut: Zlč, Reč, Séč, Meč, Teč, &c. Loď, Meď &c. Soľ, Poſteľ, Kúdeľ, Maſtaľ, Oceľ, Beľ, Petržeľ aneb Petržal, Swižeľ, Miſeľ, Kratochwiľ, &c. Čeſt, Srſt, Trſt, Hrſt, Maſt, Smrť, Čnoſt, Zloſt, Múdroſt, Boleſt, Miloſt, Žádoſt, Koſt, Horkoſt, Zdržanliwoſt, &c.

Digitized by Google

Excipe Maſculina, ex č: Meč, Bič, Krč. Ex d: Déſd, Medwed. Dil *tignum*. Ex t: Zat, Pláſt, Kriſt, Hoſt, Chot *conſors*.

§. XV. *Subſtantiva Generis Neutrius ſunt*:

1. Nomina Literarum, ut: To *a*, *b*, *c*, &c. & notarum v. g. *re*, *mi*, *fa*, &c. Item non ſignificantia, aut materialiter ſumpta, ut: To Bliktri, to Peter.

2. Nomina diminutiva deſinentia in *a*, præcedentibus duris: b, l, ř, ſ, vel vero quibuſcunque liquidis, ut: Holuba, Kura, Zwira, Huſa, Pachola, Koʒla, Tela, Díta (Dgeta), Kňiža, &c.

3. Nomina in *e*, & í terminata, niſi ſint nomina virorum & virilium officiorum, (quo caſu maſculina ſunt); aut nomina mulierum & functionum mulieribus propriarum, (quo caſu fœmininis accenſentur); ut: To Oge, Srdce, More, &c. Boſtwí, Bití, Pití, Spáňí, Trápeňí, Učeňí, Umeňí, &c.

4. Deſinentia in o cujuſcunque ſignificationis, ut: Blato, Drewo, Okno, Olowo, Slowo, Méno, Meſto, Žito, Zlato &c. Chlapiſko, Človečiſko &c. Babſko, Kurwiſko, Ženſko, &c. Huſátko, Kurátečko, &c.

Excipe Nomina virorum: Néro Cicero, Ca- no, Guro, Ganičko, Guričko, Martinko, Mato, &c. quæ ſunt maſculina. Nomina tamen in iſko terminata, quæ rem exaggerant, vel contemptum indicant, etſi ſint nomina virorum, regulam generalem ſequuntur, atque ad neutrorum pertinent claſſem, ut: Guriſko, Mužiſko, Ci- zmáriſko, Mlináriſko, &c.

5. Peregrina exeuntia in um, ut: Lilium, Ewangelium &c.

§. XVI. *Caſus* (Padi), ſive terminationes Nominum Subſtantivorum, (uti etiam Adjectivorum, Numeralium, Pronominum, & Participiorum) ſunt ſeptem: *Nominativus* menugici, *Genitivus* plodni, *Dativus* dáwagici, *Accuſativus* žalugici, *Vocativus* wolagici, *Localis* meſtowni, aliis *Præpoſitionalis*, eo quod nunquam ſine præpoſitione ſit, dictus; *Inſtrumentalis* ſive *Socialis* náſtrogni aneb towariſni. *Ablativo* Slavi carent, & loco illius, more Græcorum, Genitivo utuntur. Per hos caſus variatio ſive flexio nominis *Declinatio* Odchilnoſt apellatur.

Adnotatio. Caſu *Locali* utimur, dum locum *in quo*, vel ſimile quid exprimimus; per *Inſtrumentalem* autem, ſive *Socialem* modum actionis, vel ſocietatem diſignamus, ut: Na tomtó márnom Swete ſ každim Člowekom dobrim Spuſobom zachádzat máme, *in hoc tranſitorio mundo cum quolibet homine bona moralitate nobis eſt agendum.*

§. XVIII.

§. XVII. *Prima Declinatio*

Continet omnia Subſtantiva Maſculina.

1.) *Paradigmata Animatorum.*

S i n g u l a r.

N.	Tento	Sluha,	Sudce,	Pán.
G.	tehoto	Sluhi,	Sudca,	Pána.
Salaſ, na Rinek, na Lúki, na Role *pergit ad tugurium, ad forum, ad prata, ad agros*; wilézol na Strechu, na Dom *conſcendit tectum, domum.*

§. VII. Ad interrogationem kadel *qua?* ſequitur *Accuſativus* cum præpoſitione preſ, vel etiam na cum nominibus Locorum propriis, ut: iſel preſ Wodu, preſ Moſt, preſ Rinek, preſ Budin vel na Budin, preſ Preſporek vel na Preſporek, &c. *ivit per aquam, pontem, forum, Budam, Poſonium*, &c.

§. VIII. Ad interrogatonem gak dluho *quamdiu?* ponuntur Subſtantiva temporis in *Accuſativo* cum, vel (quod uſitatius eſt) ſine præpoſitione za, v. g. Gá ſem iſel tri Hodini vel za tri Hodini *ivi tribus horis*, Bitka trwala ſtiri Dni vel za ſtiri Dni *certamen quatuor diebus duravit.*

§. IX. Ad interrogationes: gak daleko *quam procul?* gak wiſoko *quam alte?* gak hluboko *quam profunde?* gak ſiroko *quam late?* nomina diſtantiæ, altitudinis, profunditatis, latitudinis veniunt in *Accuſativum* cum, vel (quod uſitatius) ſine præpoſitione na, ut: *Cſekléſz* ge dwe Mile od Preſporku *Cſekléſz diſtat Poſonio duobus milliaribus*; Chlap dwe Sáhi vel na dwe Sáhi wiſoki

ki *vir duas orgias altus*, hluboki na tri Sáhi *ad tres orgias profundus*, ſiroki dwa Riſi vel na dwa Riſi *duas ulnas latus*.

§. XX. Ad interrogationem kolko *qantum*? nomina ponderis & menſuræ ponuntur ſine ulla præpoſitione in *Accuſativo*, v. g. Kúpil ſem tri Funti Cukru *emi tres libras zachari*, a ſeſt Riſow Plátna *& ſex ulnas telæ*.

§. XXI. Ad interrogationem kde *ubi*? ſequitur vel *Localis* cum præpoſitionibus *na, po, pri, w*, ut: na Poli *in campo*, na Rinku *in foro*, na Moſte *in ponte*; chodí po Meſte, po Rolách *perambulat civitatem, agros*; ſedí pri mňe, pri Bratowi *ſedet penes me, penes fratrem*; ge w Nebi, w Peſci, w Orawe, *eſt in cœlo, Peſtini, in Arva*: vel *Genitivus* perſonæ cum præpoſitione u, v. g. biwá u Súſeda, u Zlatňika, u Pánа, u Seſtri, u Brata *habitat apud vicinum, aurifabrum, dominum. ſororem, fratrem*.

§. XXII. Ad quæſtionem kedi *quando*? nomina temporis, annorum, menſium, dierum, ponuntur: jam in *Accuſativo* vel ſine ulla præpoſitione, ut: Tuto Noc ſem ňiſt ňeſpal *hac nocte nihil dormivi*, tento Rok ſem ňezdrawi bol *hoc anno infirmus fui*,

fui, ňekteré Leta ſem ſčaſtiwi bol *aliquibus annis felix eram*; vel cum præpoſitione na, w, ut: na Zimu *de hyeme*, na Gar *vere*, na Leto *de æſtate*, na Geſeň *in autumno*, w ten Deň *illa die*, w tu Noc *illa nocte*, w tu Hodinu *illa hora*, w Nedelu *die dominica*, w Pondelek *die lunæ*, w Ůterek *die martis*, we Stredu *die mercuri*, we Štwrtek *die jovis*, w Pátek *die veneris*, w Sobotu *die ſabathi*: mox in *Locali* cum præpoſitione w, ut: w Zime *in hyeme*, w Gari *in vere*, w Lete *in æſtate*, w Geſeňi, w Podzimku *in autumno*: mox in *Inſtrumentali* cum præpoſitione o, po, ut: o ſgeſteg Hodiňe *hora ſexta*, o Gáňe *in feſto S. Ioannis*, o Martiňe, o Michale; o Wánocách *circa natalitia feſta*, o welikeg Noci *circa Paſcha*, o ſwatom Duchu *circa feſta Pentecoſtalia* po Gáňe *poſt feſtum S. Ioannis*, po Zatwe *poſt meſſem*, po Oberačkách *poſt vindemiam*, po Mlatbe *poſt trituraturam*: mox in *Genitivo*, vel cum præpoſitione okolo, ut: okolo Wánoc *circa feſta natalitia*, okolo welikeg Noci *circa Paſcha*, okolo Turic *circa feſta Pentecoſtalia*; vel ſine ea, ut: prwňeho Mága, Roku po Narodzeňi Kriſta Pána tiſicého ſedmoſtého (ſedem ſto) oſemdeſátého dewátého *prima Maji*, *anno a Nativitate Chriſti Domini milleſimo, ſeptingenteſimo, octuageſimo nono*

§. XXIII.

§. XXIII. Nomen inſtrumenti vel cauſæ per *Inſtrumentalem* effertur ſine præpoſitione, ut: Prútami ho ſláhaki *virgis cæſus eſt*, Palicami ho bili *baculis percuſſus eſt*. Nomen autem ſocietatis poſcit præpoſitionem z cum Inſtrumentali, v. g. z Bratom *cum fratre*, ze Seſtrú *cum ſorore*, ſ Pánom *cum Domino*.

CAPUT II.

De *Syntaxi Adjectivorum*.

Adjectiva (uti & Participia) concordant cum Subſtantivis in genere, numero & caſu, v. g. Werní Prátel geſt, drahí Dar Nebeſ *fidelis amicus, eſt pretioſum cæleſte donum*.

§. II. Adjectiva ſubſtantive uſurpanda per genus neutrum efferuntur, ut: Chwálitebné geſt, dobre činit *laudabile eſt agere bene*; diwno ſice, wſak predca milo nám to prichádzá *curioſum quidem, ſed gratum tamen nobis hoc accidit*; wſecko ſi wezmi *accipias tibi totum*; dal mu rachowného *dedit illi pecuniam occaſione computus diſtribui ſolitam*. Uſitatius tamen efferrimus fœminine cum Subſtantivo Wec, v. g. Chwálitebná Wec geſt, dobre činit; diwná ſice, wſak predca milá Wec nám to pri-

prichádzá, že &c. Widáwá ſ Pokladu ſwého ſtaré, i nowé Weci *profert de theſauro ſuo nova, & vetera.*

Adnotatio. Poeta omnia adjectiva abſolute abſque, Wec tam ſingulariter quam pluraliter ponere poteſt, ut:

Tak ſem gá z welikými malé zrownáwati zwiknul.

§. III. Adjectiva, quæ copiam aut inopiam noxam aut innocentiam, capacitatem, laudem aut vituperium, & generatim qualitatem rei indicant; item quæ notitiam, participationem, officium, dignitatem, deſiderium, ſtudium, & his contrarium ſignificant, *Genitivum* regunt, e. g. Plni Miloſti *plenus gratia*, prázni Wina *vacuus vino*, winen, ňewinen Smrti *reus vel inoccuus mortis*, Sud ſeſt Okow (vel Okowi) *vas ſex urnarum*, pilni, bedliwi Práce *diligens quoad laborem*, pekného Parſumu Člowek *pulchræ phyſonomiæ homo*, Chlapec pekneg Twári, pekneg Sarbi, welikého Wtipu, ale zlého Žiwota *puer faciei pulchræ, coloris amœni, ingenii magni, ſed malæ vitæ*; wedomi, powedomi Chrichu *conſcius peccati*, učaſtni Krádeži *particeps furti*, Radu reholňického *ordinis religioſi*, Rodu zemanſkého *genere nobilis*, hoden Obdarunku *dignus præmiatione*, chtiwi, žádoſtiwi Pokoga *cupidus pacis.* &c.

Adno-

Adnotationes. 1. Bedliwi recipit etiam *Accuſativum* na, ut: bedliwi na Hoſpodárſtwo (twi), *ſedulus in œconomia.* Teſkliwi petit tantum *Inſtrumentalem* cum præpoſitione nad, ut: teſkliwi nad Samotnoſtü *impatiens ſolitudinis.* Winen *reus* Inſtrumentalem quoque habet, v. g. Winen Hrichom Smrti geho *reus peccati mortis ejus.*

2. Mnoho, wic vel wiceg aut wác, nagwic vel nagwiceg aut nagwác; item: málo, méň vel méňeg, nagméň vel nagméňeg ponuntur loco adjectivorum *multus, a, um; multi, æ, a; plures, plurimi, æ, a; pauci, æ, a; pauciores, pauciſſimi, æ, a:* & conſtruuntur ſubſtantive cum *Genitivo*, ut: Bolo tu mnoho Ludi vel Ludſtwa *fuerunt hic multi homines;* mám mnoho Wolow *habeo multos boves;* bolo tu wic (wiceg, wác) Ludi, než ſto *plures, quam centeni homines hic fuere;* mám w mogeg Zahrade nagwic Hruſek *habeo in meo horto plurima pira,* méňeg Peňazi *pauciorem pecuniam,* nagméňeg Chleba *pauciſſimum panem,* wác Deti *plures proles.*

§. IV. Adjectiva quæ aut utilitatem, aut damnum, aut proprietatem, aut ſimilitudinem, aut facilitatem, aut difficultatem, aut impoſſibilitatem, aut obedientiam indicant, *Dativum* petunt, ut: To mi ge užitečné, ſkodliwé, wlaſtné, podobné, lahké (ſnadné), ňezňeſitedelné, ňemožné *hoc eſt mihi utile, damnoſum, proprium, ſimile, facile, difficile, inſufferribile, impoſſibile;* poſluſni Otcowi, a Matce *obediens patri & matri.*

§. V.

§. V. Adjectiva ſignificantia aptitudinem, inclinationem, affectum, voluntatem, & his contraria *Dativum* cum præpoſitione k adſciſcunt, ut: ſpůſobní k Škole *aptus ad Scholam*, wďační k Bohu (non proti Bohu) *gratus Deo*, náchilní k Chlipnoſti *proclivis ad luxuriam*, priwetiwi k Ľuďom *affabilis erga homines.*

§. VI. Adjectiva ſignificantia potentiam, abundantiam, fertilitatem & his contraria; item quæ partem indicant, *Accuſativum* cum præpoſitione na adſciſcunt, v. g. možni na Peňáze (Peňize) *dives quoad pecuniam*, bohatí na Dobitek *potens quoad bona*; kulhawí na Nohu *claudus pede*, ſlepí na Oko *cæcus ad oculum*, zdrawí na Žalúdek *ſtomacho ſanus.*

§. VII. Adjectiva ťažki (težki) *gravis*, & hoden *dignus* (ſi pretium alicujus rei indicat) *Accuſativum* petunt, v. g. tri Centi ťažki *trium centenariorum gravis*, tri Zlate ge hoden *tres florenos valet.*

§. VIII. Adjectiva ſignificantia ætatem, menſuram, quantitatem, ſpatium, diſtantiam, pondus, nec non *Genitivum* vel *Accuſativum* poſtulant, ut: ſtiricať Rokow vel ſtiricať Roki ſtari *quadraginta annorum ſenex*, mladí ſeſt Rokow vel ſeſt Roki mladí

ſex annorum juvenis, dwoch Sah vel dwe Sáhi dluhi *duas orgias longus*.

Adnotatio. Hæc eadem Adjectiva admittunt etiam *Accuſativum* cum præpoſitione na, v. g. na dwe Mile dluhi *duo milliaria longus*; na tri Sáhi ſiroki, a na ſeſt hluboki *tres orgias latus*, & *ſex profundus*.

§. IX. *Comparativi* adſciſcunt, vel *Nominativum* cum particula neʒ, vel *Genitivum* cum præpoſitione od, vel denique *Accuſativum* cum præpoſitione nad, v. g. lepſi, neʒ gá *melior me*, wiſſi od Sáhi *ultra orgiam altior*, ſilnegſi ode mňa *me fortior*, wiſſi nad Nebeſa *altior cœlis*.

Adnotationes. 1. Particula gako excipit Comparativum tunc tantum, quando præcedit enunciatio negativa, quæ etiam bene exponi poteſt per Poſitivum & particulam tak, aut Superlativum abjecta negatione, ut: Niſt richlegſeg ſa ňemiňá, gako Čaſ, i. e. ňiſt tak richle ſa ňemiňá gak Čaſ, vel Čaſ ſa nagrichlegſeg pomíňá *tempus celerrime tranſit*.

2. Quando duo Comparativi inveniuntur in duobus membris unius ejusdemque conſtructionis oppoſiti, ponitur ante primum particula čim, & ante ſecundum tim, v. g. Čim ſčaſtiwegſi ge Člowek, tim wiceg Prátelow (luw) má *quo feliciores ſumus, eo plures amicos habemus*; čim watſi Seřma, tim lepſé Sčaſtí (Sčeſti) *quo major lurco, eo melior fortuna*.

§. X. *Superlativi* adſciſcunt *Genitivum* cum præpoſitione ʒ, vel *Inſtrumentalem*

lem cum præpoſitione medzi, ut: nagkepſi ſ ních *illorum optimus*, nagwatſi medzi ními (níma) *maximus inter illos*.

CAPUT III.

De Syntaxi Numeralium.

§. I. Quatuor prima *Numeralia Cardinalia*: geden, dwa, tri, ſtiri, (prouti & omnia Ordinalia, Specificativa, ac Multiplicativa propria) concordant in caſu, genere & numero cum ſuo Subſtantivo, aperte vel occulte poſito, & dum partitionem vel collectionem ſignificant, præpoſitionem z, vel medzi cum caſu regiminis poſt ſe requirunt, v. g. geden, dwa, trá, ſtirá ſ wáſ, vel medzi wami *unus, duo, tres, quatuor ex vobis*, vel *inter vos*.

§. II. Reliqua autem Cardinalia a pát (peč) uſque ad ſto incluſive more Subſtantivorum poſtulant *Genitivum*, dum in Accuſativo vel Nominativo ſunt, ut: pát, ſeſt, deſat, dwacat Mužow, Žen, Kowad tam bolo *quinque, ſex, decem, viginti viri, mulieres, animalia ibi fuere*; pát Sah ſiroki *quinque orgias latus*, oſem Kiſow dlubi *octo ulnas longus*, ſeſtdeſát Mil od náſ ge k ňemu *ſexaginta milliaribus diſtat a nobis*. Na Ruce geſt pát

Prſtow (non ſú pať Prſti) *in manu ſunt quinque digiti*, má ſedem Chľebow *habet ſex panes*, bolo ſeſť Chlapow *ſex viri fuere*, pať Zen pralo Ssati *quinque mulieres laverunt veſtes* &c. In reliquis caſibus adjective uſurpantur, v. g. paťMužom, Zenám, Howadom *quinque viris, fœminis, pecoribus*; pri ſeſť Mužoch, Zenách *penes ſex viros, mulieres*. Idem fit, ſi dictis numeralibus junguntur hæc: ťiſic (ťiſice) milion (milioni); nam hæc duo in hac Lingua ſunt Subſtantiva & ideo etiam dictis caſibus, nempe Nominativo & Accuſativo tantum Genitivum ſubminiſtrant, ut: pať ťiſicow, milionow *quinque millia, milliones*; in reliquis caſibus ut Adjectivum & Subſtantivum junguntur, v. g. pať ťiſicom, milionom *quinque millibus, millionibus*; w páťi ſtoch ťiſicoch, milionoch *in quingentis millibus, millionibus*; pať milionow Zen *quinque milliones fœminarum*; ſ pať ťiſic Tolarow wiplatil deſať ťiſic Wogákow, a zoſtalo mu eſce paťdeſať Tolari *ex quinque millibus Imperialium exſolvit decem millia militum, & remanſerunt illi adhuc quinquaginta Imperiales.*

§. III. Numeralia *Multiplicativa propria* ſubſtantive poſita regunt Genitivum, ut: dwoge, troge, ſtworo, patoro, ſeſtoro, ſedmoro Deťi *duæ, tres, quatuor, quinque, ſex,*

ſex, *ſeptem proles*; deſatoro božich Prikázaňi *decem præcepta Dei*, dwacatoro Barančat *viginti agnelli.*

Adnotatio. In uſu eſt maxime tantum Nominativus & Accuſativus; in reliquis caſibus melius adhibentur Cardinalia, ut: Tu geſt patoro (Nom.) Ditek, a ti ſ dowedol ſeſtoro (Acc.) Sinow, kteri zoſtali ſ pat (Gen.) Cer, a ſedem Sinow (non ſ patoro Čér a ſedmoro Sinow): dagme wſeckim (Dat.) gedenáſt Ditkám (non wſeckemu gedenaſtoru Ditek:) Chleba; ti zoſtaň pri ſeſtich (Loc.) Sinoch (non pri ſeſtoru Siňow) tuto, a gá ſ patmi (Inſtr.) Čérami (non ſe paterom Čér) pogdem domow: *Hic ſunt quinque proles*, & *tu adduxiſti ſex filios*, *qui ſuperſunt ex quinque filiabus*, & *ſeptem filiis: demus omnibus undecim prolibus panem*; *tu maneas penes ſex filios hic*, & *ego cum ſeptem filiabus ibo domum.*

§. IV. Quia *Numeralia Diſtributiva* in Lingua Slavonica non dantur, adhibentur loco illorum Cardinalia hoc modo: geden a geden *ſinguli*, dwa a dwa *bini* & *bini*, trá a trá *terni* & *terni*, &c. vel etiam cum præpoſitione po in Locali, ut: po gednom, po dwoch, po troch, po ſtiroch &c.

CAPUT IV.

De Syntaxi Pronominum Perſonalium.

§. I. Pronomen ſecundæ perſonæ Ti *tu* Slavi non amplius adhibent, excepto in

 ver-

verſibus, vel ad ſummum apud perſonas, quibuscum ſumma eſt familiaritas; ſed ejus loco utuntur, ſicut optimus uſus petit, ad exemplum Germanorum, pronomine tertiæ perſonæ pluralis Oňi; in colloquiis vero cum ſubditis pronomine ſecundæ perſonæ pluralis Wi. Sic dicimus hodie, ſi civiliter loquimur: Oňi mí to powedali *veſtra Dominatio mihi dixit*, ňech mi ráčá vrobiť tu Láſku *dignetur mihi præſtare hanc gratiam.*

Adnotatio. Major gradus honoris indicatur, quando pro Oňi adhibentur voces gegich Miloſt, ut: Gegich Miloſt ſú geden ſtatečni Pán, a gedna oprávdiwá Oſoba duchowná *Veſtra Dominatio eſt honeſtus homo, & verus Eccleſiaſticus.*

§. II. Pronomen tertiæ perſonæ On, ona, ono Subſtantivum eſt apud Slavos in omni genere & caſu; quare cum Subſtantivis more adjectivorum, ut apud Latinos, conſtrui nequit. Male ergo diceres: On Mládeňec geſt dobri Piſar, *ille juvenis eſt bonus ſcriba*; ſed dici debet: Ten Mládeňec ge dobri Piſar, vel on ge dobri Piſar.

Adnotationes. 1. Generatim, dum apud Latinos pronomen *ille, a, ud* concordat cum Subſtantivo, tunc adhibendum eſt pronomen demonſtrativum Ten, ta, to; dum vero non concordat, aut ſolitarium eſt, tum ponitur On

ona,

ona, ono, ut: Gegich Dom *illorum domus*, geho Hlawa, Slowo, Rozum *illius caput*, *verbum*, *ratio*; dal ho Materi geho *dedit illum matri ejus*, ňežádám geho Piſara *non deſidero illius ſcribam*; ňemóžem wiſtat teho Piſara *non poſſum pati illum ſcribam*, poſli ho k nám, abi geg ten Dach poſil, *mittas illum ad nos*, *ut illi tectum illud ſtramine tegat*; twoga Matka wládňe gediňe tim Statkom, kteri bol geg Rodičow *tua mater illa tantum poſſidet bona*, *quæ ejus parentum fuere*.

2. Quando hoc pronomen tertiæ perſonæ On, ona, ono cum præpoſitione aliqua efferendum eſt, tunc ubique in obliquis caſibus g mutatur in ň, ut: Otec mi poručil Dom, abich w ňom biwal *parens mihi legavit domum*, *ut eam inhabitem*; Brat ma proſil, abich k ňemu priſel *frater me rogavit*, *ut ad eum venirem*; bol ſem u ňeho (vel u ň'ho) *fui apud illum*.

3. Neho contrahitur in ň cum præpoſitionibus na, pre, za, v. g. naň *ſuper illum*, preň *propter illum*, zaň *pro illo*.

§. III. Pronomen *Reciprocum* Sebe (ſi) eſt apud Slavos omnis perſonæ, & ſub eadem terminatione in utroque numero atque omni caſu ſive unam, ſive plures res reſpicere poteſt; hinc in quocunque caſu & numero adhibetur a Slavis non tantum ibi, ubi Latinorum pronomen *ſibi* obtinet, ſed quotiescunque caſus obliqui pronominum *Ego*, *Tu*, *Ille* ejuſdem perſonæ & numeri ſunt, cujus verbum eos regens, v. g. Učiňim ſi Meſto faciam mihi locum; quia *fa-*

ciam & *mihi* ſunt ejuſdem perſonæ & numeri. Ita: gá ſebe pracugem *ego mihi laboro*, ti ſebe pracugeſ *tu tibi laboras*, on ſebe pracuge *ille ſibi laborat*; mi ſebe pracugeme *nos nobis laboramus*, wi ſebe pracugete *vos vobis laboratis*, oňi ſebe pracugú *illi ſibi laborant*; dal ſem ſi Ŝati ſprawiť *curavi mihi veſtes fieri*; &c. Sed: urobím nám (non ſebe) Meſto *faciam nobis locum*; quia *faciam* & *nobis* non ſunt ejuſdem numeri, licet quoad perſonam conveniant. Ita: dal ſem ťi Ŝati ſprawiť *curavi tibi fieri veſtes*, gá pre ťeba robím *ego pro te laboro*, ti mňe pracugeſ *tu mihi laboras*, oň ťebe pracuge *ille tibi laborat*.

Adnotatio. Pronomen ſa (ſe), quod Verbis Neutris additur, ſi ſequantur plura ſimilia verba, tantum uni additur, primo vel ultimo; primo pulchrius, v. g. Budú ſa radowať a weſeliť Národi *gaudebunt & exultabunt gentes.*

CAPUT V.

De Syntaxi Pronominum Poſſeſſivorum.

§. I. Pronomina poſſeſſiva (prout etiam demonſtrativa, relativa, & indefinita) cum Subſtantivo in eodem genere, numero, & caſu conveniunt, v. g. gedenkaždí má ſwogu Potrebu *cuique eſt ſua calamitas*, wáſ Otec *pater veſter*, naſa Matka *noſtra mater.*

§. II.

§. II. Poſſeſſivum ſwóg (ſwůg) ſwoga (contr. ſwá), ſwoge (contr. ſwé) non ſemper cum Latinorum *ſuus, a, um*, convenit; ſed ibi tantum a Slavis adhibetur; ubi Latinorum *ſuus, a, um* per *illius, ejus, eorum, earum* commode exponi non poteſt, ut: Bóh naſſčiwil Lud ſwóg *Deus viſitavit populum ſuum* (non *ejus*). Bezbožní ňet bagú na Duſe ſwoge *impii non curant animas ſuas* (non *eorum*). Contra, ubi *ſuus, a, um* poteſt exponi per *ejus, illius, eorum, earum*, ibi non adhibetur ſwóg, ſwoga, ſwoge, ſed Genitivus pronominis tertiæ perſonæ geho, geg, gegich pro ratione generis vel numeri, v. g. *Deus mandat, ut audiamus filium ſuum* (i. e. *ejus*, non *noſtrum* filium). Bóh káže, abiſme počuwali Sina geho (non ſwého.)

§. III. Per ſingularem idiotiſmum Slavicum, quem aliæ Linguæ ignorant, pronomen iſtud poſſeſſivum tertiæ perſonæ ſwóg, ſwoga, ſwoge poni etiam ſolet loco poſſeſſivorum 1mæ & 2dæ perſónæ móg (můg) *meus*, twóg (twůg) *tuus*, náſ *noſter*, wáſ *veſter*, ſi hæc pronomina cum verbo, a quo reguntur, in perſona & numero conveniant, v. g. gá gem Chléb ſwóg (loco móg) *ego comedo panem meum*, ti geſ Chléb ſwóg (loco twóg) *tu comedis panem tuum*, mi geme Chléb ſwóg

 (loco

(loco náſ) *nos comedimus panem noſtrum*, wi gete Chléb ſwóg (loco wáſ) *vos comeditis panem veſtrum*; quia *comedo* & *meum*, *comedis* & *tuum*, *comedimus* & *noſtrum*, *comeditis* & *veſtrum* ejuſdem perſonæ atque numeri ſunt. Iſtud tamen tunc prorſus fieri non poteſt, quando ex repetitione hujus poſſeſſivi tertiæ perſonæ ſenſus ambiguus oriri deberet, ut: gako ťa naleznem medzi mogima (non ſwogima), keď ňegſi aňi medzi ſwogima (loco twogima)? *Quomodo te inveniam inter meos, cum neque ſis inter tuos.*

CAPUT VI.

De Syntaxi Pronominum Demonſtrativorum.

§. I. Pronomen demonſtrativum Ten, ta, to correſpondet Latinorum demonſtrativo, *ille*, *illa*, *illud* cum ſuo Subſtantivo concordanti, ut: Ten Člowek ge dobrí *ille homo eſt bonus*, ta Žena ge zlá *hæc fœmina eſt mala*, ti Ľudá ſú ſtatečňí *homines illi ſunt honeſti*, te Weci ſú pekné *res illæ ſunt pulchræ*. Confer ea, quæ de hoc pronomine Capite IV. §. 3. in *Adnotatione* prima dicta fuere.

§. II. Solet etiam iſtud pronomen Ten, ta, to Superlativis per omnes caſus

cum

eum idiotica elegantia ad modificandam eorum ſignificationem addi, ut: Má ten nagpekněgſi Statek *habet nimium pulchrum bonum*; alias abſque ten eſſet ſenſus, quod illo bono nemo pulchrius haberet.

§. III. To neutrum pronominis Ten jungitur quandoque, more Græcorum, recto tum ſingulari tum plurali cujuscunque generis, & indicat rem aliquam notam, vel viſam, vel deſcriptam, ut: To ge duchowní Kompan *iſte eſt præbendatus*, to ge moga Kňíha *hic liber eſt meus*, gaká ge to Običag? *qualis eſt iſta conſuetudo?* to Piwo ge dobré *hæc cerevíſia eſt bona*, to ſú ſtatečňí Páni *hi domini ſunt egregii*, to ſú pobožné Oſobi *hæ perſonæ ſunt piæ*, to ſú pekné Slowa *hæc verba ſunt pulchra*.

§. IV. Demonſtrativum ſám, ſama, ſamo nunquam ſolum ponitur, ſed ſemper alicui pronomini perſonali vel reciproco ſebe emphaſeos gratia jungitur, v. g. gá ſám *ipſemet*, ti ſám *tu ipſe*, on ſám *ille ipſe*, ſám ſebe *ſibi ipſi*, ſám ſeba *ſe ipſum*; od ſeba ſamého *a ſe ipſo*. Neque confundendum eſt cum adjectivo ſami, ſamá, ſamé *ſolus, a, um*; cui correſpondet ſamotni *ſolitarius*, vel ſamogedini *ſolus unicus*.

Digitized by Google

§. V. Onen ponitur demonſtrative cum Subſtantivo, dum res præterita nec adeſt, nec illius mentio præceſſit, v. g. Weliká bola zagiſte Zaloſt onébo Otca, kdiž pre-mili Sin gebo ſkutečne umirat počal *magnus profecto dolor fuit illius Patris, dum filius ſuus reapſe inciperet mori.*

Adnotatio. Onen, & tento cum quadam electione & magis demonſtrant, quam on & ten.

CAPUT VII.

De Syntaxi Pronominum Interrogativorum.

§. I. Čo (čo to) ſemper ſubſtantive ſummitur, & ponitur cum præpoſitione za pro Nominativo & Accuſativo utriuſque numeri adjectivi gaki *qualis*, v. g. Čo ge to za Pána? *qualis eſt iſte dominus?* loco: gaki ge to Pán? Čo ge to za Reč? *qualis eſt iſte ſermo?* loco: gaká ge to Reč? Čo ge to za Zwira? *quale eſt iſtud animal?* loco: gaké ge to Zwira? Čo ſú to za Páni? *quales ſunt iſti Domini?* loco: gaci ſú to Páni? Čo ſú to za Kňižki? *quales ſunt iſti libelli?* loco: gaké ſú to Kňižki? Čo ſú to za Slowa? *qualia ſunt iſta verba?* loco: gaké ſú to Slowa?

§. II. Čo in diſtributione adhibetur cum Nominativo, ut: Čo Rok, čo Meſác, čo

ko Deň, do Hodina, čo Okamženi, tim ge horſeg: *in annos, menſes, dies, horas & minuta eſt deterius.* Dum autem totum ſignificatur, čo Genitivum regit, v. g. Čo dobrého *quid boni?* čo zlého *quid mali?* čo nowého *quid novi?*

§. III. Čo pulchre additur etiam in loquela initio interrogationis, ſi nulla particula interrogativa addatur, ut: Čo pogdeš preč? *abibis?* Sed: kam pogdeš? *quorſum ibis?*

Adnotatio. Slavi Panonnii adhibent quoque Čo in Nominativo ſingulari loco Relativi, præcedente to, v. g. A to; čo bolo zle, geſt &c. *& hoc, quod erat male, eſt &c.*

§. IV. Kdo interrogativum generis communis, adhibetur tantum in ſingulari, & ſemper ſine Subſtantivo collocatur, v. g. Kdo ge to? *quis eſt ille?* Kdo chce wolačo? *quis vult aliquid?* Male itaque diceres: Kdo ſú tito? *quinam ſunt iſti?* quia in numero plurali ſuppletur per čo, vel adjectivum gaki, v. g. Čo ſú to za gedni? vel gaci ſú to Ludá?

Adnotationes. 1. Kdo, čo aſſumunt etiam ž, že, žeto (žto) & ſunt emphatica, ut: Kdožeto? *quis ille?* čožeto vel cožto? *quid illud?*

2. Kdo (kdož) de perſonis; Čo (čož) de perſonis & rebus adhiberi poteſt, v. g. Čo

chceš?

chceſ? *quid vis?* Čo ſte maki za Hoſtow *quales hoſpites habuiſtis?*

§. V. Interrogativum Či & Ki ſemper cum, Kteri autem cum & ſine Subſtantivo collocatur, ut: Čí ge to Služebník? *cujus eſt hic ſervus?* Kiho Blázna ſem wedeſ? *qualem ſtultum huc ducis?* Kterí Pán tam bol? *quis dominus ibi fuit?* Kterí to urobil? *quis hoc fecit?*

Adnotationes. 1. Interrog. Ki ponitur cum Subſtantivo & admiratione, v. g. Ki Parom ta ſem dowédol *quis ſpiritus te huc adduxit?*

2. Interrog. Kteri aſſummit tantum žeto emphatice, ut: Kterížeto bol? *quis ille fuit?*

CAPUT VIII.

De Syntaxi Pronominis Relativi.

Relativi Kterí, á, é uſus idem eſt apud Slavos, qui apud Latinos relativi *qui, æ, od;* & adhibere loco illius genž, genžto, geſto, gehožto, gegžto &c. bohemicum eſt; ne dicas ergo: Otče náſ, genž ſi na Nebeſi, ſed: Otče náſ, kterí ſi na Nebeſi *Pater noſter, qui es in cælis.*

CAPUT IX.

De Syntaxi Pronominum Indefinitorum.

§. I. Pronomina Indefinita ňekdo, kdoſi ponuntur ſemper abſque Subſtantivo, ut:

ut: ňekdo tu bol *aliquis hic fuit*, kdoſi mi to pohúbil *aliquis mihi hoc deſtruxit*. In ňekdo poſt conjunctiones abjicitur ňe, v. g. geſtli ge kdo *ſi eſt aliquis*.

§. II. Ňeco, dum ſignificatur totum, Genitivum regit, ut: ňeco diwného *aliquid miri?* Dum autem pars ſignificatur, Accuſativum petit, v. g. ňeco máličko wzal *aliquid parum accepit*.

CAPUT X.

De Syntaxi Verborum Perſonalium cum Nominibus & Pronominibus.

§. I. Verba Perſonalia cum viciniore Subſtantivo in *genere*, *numero* & *perſona*, convenire debent, ut: Abi ſa Tichoſt a Mlčáňí zachowalo *ut pax & ſilentium obſervetur*, abi ſa Slowo a Prawda naplňila *ut verbum & veritas adimpleatur*, milugici Muž *amans vir*, pri Wode zaſadeni Strom *ad flumen plantata arbor*, to ge ta zdáwna žádaná a winſowaná Kniжka *hic eſt ille diu deſideratus & exoptatus liber*.

Adnotationes. Verbum ſem (ſom) *ſum* inter duo nomina ſingularis numeri ſed diverſi generis poſitum, cum alterutro *genere* eorum conſtrui poteſt, ut: A to Slowo, bol Bóh; a Žiwot bol, Swetlo ľidſké.

2. Nominativus multitudinis ex **málo mé-ňeg nagméňeg, mnoho wiceg, nagwiceg, kolko**: item ex numeralibus cardinalibus, poſtulat verbum in *genere* neutro & numero ſingulari, ut: **Málo náſ tam bolo** *pauci noſtrum ibi fuere*, **pritáhlo ſem mnoho Wogſka** *advenit huc multus exercitus*, **kolko wáſ bolo**: *quot veſtrum fuere?* **Seſt náſ bolo** *ſex fuimus.*

3. Verbum auxiliare ſem inter duo nomina diverſi *numeri* poſitum, in plurali conſtruendum eſt, ut: **Sedini ſú Ozdoba Starcow; Co ſú to za Ludá**:

4. Duo Nominativi ſingulares poſtulant more Latinorum verbum *numeri* pluralis, & ſi Nominativi ſint diverſarum perſonarum, reſpondet verbum *perſonæ* digniori, ut: **Peter a Gán ſtupowali do Chrámu** *Petrus & Joannes intrabant templum*; **Otec twóg, a gá, hledali ſme ťa** *Pater tuus & ego, quærebamus te.*

5. Nomen multitudinis poteſt etiam conſtrui cum verbo plurali, ut: **Sliſtež Dome Dá-widow** *audite domus Davidis*, loco **Sliſ**.

§. II. **Quodlibet Verbum Perſonale petit ante ſe** ***Nominativum*** **aperte vel occulte poſitum, ut: Slunko ſkowáwá ſwóg Bliſk, ale ho ňikdi ňeſtraťi** *Sol ſplendorem ſuum abdit, aſt nunquam amittit*; (mi) **ſebaſa mích klameme čaſtokrát** *nosmet ipſos ſæpe decipimus.* Hic ſemper interrogatio **kdo?** *quis?* occurrit, cui Nominativus reſpondet.

Adnotationes. 1. In interrogatione expreſſa Nominativus Verbo poſtponitur; ſi autem Ver-

bum

bum auxiliare cum Verbo indefinito adeſt, Nominativus inter auxiliare, & Verbum indefinitum conjicitur, ut: Kde ge wáſ Brat? *ubi eſt frater veſter?* Bude ſa wáſ Tatik ſkoro do Uher odberat? *abibit ne brevi in Hungariam pater veſter?*

2. Neňi tertia perſona ſingularis negativa verbi ſem, ſolet pulchre mutare *Nominativum* in *Genitivum*, ut: Neňi tu žádného Člowека, neňi Pána doma, loco: neňi žáden Člowek, neňi Pán doma.

3. Verba: ſem, biwám, zoſtáwám & alia ſimilia *Nominativum* dignitatis vel officii, aut alterius etiam ſtatus, præſertim prædicati, pulchre mutant in *Inſtrumentalem*, ut: gá ſem Pánom, ti ſi mogim Služebňikom, biwáwá Richtárom, robí ſa Boháčom, pro: Pán, Služebňik, Richtár, Boháč &c. Huc pertinent locutiones hæ: Pán Pánóm, Slowo Slowom, Muž Mužom, Žena Ženow (nú).

§. III. *Genitivum regunt:*

1. Omnia ſine ulla exceptione verba negativa, ut: Nemám dobrich Šat *non habeo bonas veſtes*, ňečital ſem teg Kňihi, aňi ſom geg ňewidel *non legi illum librum, neque vidi*; ňebolo tam žádného *nullus ibi fuit*, ňikdi toho ňebolo *nunquam hoc fuit*.

2. Verba, quæ explicite vel implicite continent voculas: Čáſtka, doſt, Doſtatečnoſt, drobinku, trochu, Hognoſ, Kuſ, Kuſek, málo, mnoho, ňečo & ſimiles Subſtantivorum vices explentes; aut quæ rei

 men-

menſurabilis, ponderabilis, numerabilis, diviſibilis & ſeparabilis, unam ſaltem partem indefinite innuunt, Genitivum adſciſcunt, ut: Rozmiſſi ſi ňěčo inčho, inač ťa lepſého ňečeho naučá *cogita quid aliud, alias meliora doceberis.* Dalbi ťi (Hognoſť) Wodi žiwey *daret tibi aquam vivam;* pitá Chleba *petit panem;* nakúpil Soli *cœmit ſalem*, nalapal Rib *cœpit piſces*, narezal, naſčeypal Drewa *fidit lignum;* naley Wína *fundas vinum*, i. e. *aliquam vini præexiſtentis partem*, &c. Alias eadem verba, ſi totam rem definite innuunt, *Accuſativum* petunt, ut: Day ſem ten Chleb i. e. *totum libonem, qui præ manibus eſt;* doňeſ to Wino, i. e. *feras vinum una cum cantaro, vel vaſculo, quod adeſt;* pitá Almužnu.

3. Neutra compoſita ex præpoſitionibus do, od, ut: dožil Dobroti, dočekál ſa čaſu dobrého, doſel Cti *pervenit ad bonorem*, odlezal ſa toho, odrekol ſa Statku.

4. Compoſita ex na ſignificantia copiam, item ſatietatem vel deſatigationem, quibus additur ſa, ut: Naſčepal Polen; najedol ſa Maſſa, Chleba, napil ſa Wína.

5. Verba abſtinendi, privandi, egendi, fruendi, timendi, dolendi, ut: zdržuge ſa Wína

ab-

abſtinet a vino, zbawugem ſa Rozkoſe *privo me voluptate*; potrebugem Zlata Penez *indigeo auro, pecuniis*; zažiwá dobrich Weci *fruitur bonis rebus*, bogim ſa Smrti *timeo mortem*, luto mi ge Čaſu *doleo de tempore*, ſkoda Wina *dolendum de vino*.

6. Verbum ſem, dum formam aut qualitatem alicujus rei deſcribimus; item verba poſſeſſionem & opinionem ſignificantia, ut: Ge Rodu zemanſkého, Rozumu dobreho, a peknég Twári *eſt nobilis natus, ingenii boni, & faciei pulchræ*. Sem teho Pána *ſum bujus Domini*, ſem toho Domneňí *ſum ejus opinionis*; nazdáwal ſem ſa lepſich Čaſow, ſem dobrég Nádege *ſum bonæ ſpei*. Dicimus tamen etiam: ſem w tom Domneňí, w dobrég Nádegi.

7. Verba, quæ motum ex loco indicant, aſſummunt ope præpoſitionum od, z Genitivum, ut: Idem od Stodoli, z Meſta, *pergo ab borreo, ex civitate*.

8. Verba in voce paſſiva conſtructa poſcunt cum præpoſitione od Genitivum, ut: Dobré Kňíža biwá od ſwich Poddaních milowané.

§. IV. *Dativum regunt*:

Verba adimendi, admirandi, appropinguandi, aſſimilandi, attribuendi, auxili-

liandi, cedendi, credendi, imperandi, narrandi, optandi, promittendi, remittendi, ſerviendi præter Accuſativum rei vel quaſi rei Dativum regunt: ut: odímá dobrím, a pridáwá, i pomáhá zlím; čudugem ſa mu *miror illum*, pribľižuge ſa Meſtu, pripodobňuge mi ho *aſſimilat mihi illum*, uſtúpil mu *ceſſit illi locum*, werič ňekomu *credere alicui*, rozumím ňečemu, dám ti Koňa *dabo tibi equum*, ſlubugete nám *promittitis nobis*, powſtat ňekomu do Oči *reſiſtere alicui in faciem*, hnúſím ſi to *nauſeo hoc*, prikráſt (prilúdit) ſa ňekomu, vel k ňekomu.

Adnotationes. 1. Verba aſſimilandi & appropinguandi Dativo pulchre præponunt etiam præpoſitionem k, ut: prirownáwal ho Opici & k Opici *aſſimilabat illum ſimiæ*, pribľižowal ſa Ceſte vel k Ceſte, priſtupowal k Meſtu.

2. Verba auxiliandi præter Dativum Perſonæ, admittunt Dativum rei cum præpoſitionibus k, do, z, ut: Poſlúžil mu k Sčeſti, pomohol mu do Pſoti, z Blata &c.

§. V. *Accuſativum regunt*:

1. Verba activa omnia *Accuſativum* adſciſcunt; niſi negative ponantur, vel indefinite partem rei per Genitivum indicandæ (§. III, Nro. 1 & 2.) dari ſibi poſtulent, ut: Chwálte ſwatu Trogicu, čitagte Píſmo

ſwaté,

ſwaté, Towariſtwo činí ma weſelého *ſocietas me facit lætum.*

Adnotationes. *a*) Verbum učím *doceo* præter Accuſativum etiam Dativum vel alterum Accuſativum, aut Indefinitum petit, ut: Kdo ťa naučil temu Kumſtu vel ten Kumſt? Ten, kterí ma učí čítať, piſať; učím ťa Spewu, vel Spew, vel ſpíwať.

b) Wěrím regit etiam Accuſativum cum præpoſitione w, ut: Wěrím Boha, vel w Boha.

2. Compoſita ex præpoſitione quacunque fere Accuſativum regunt, niſi abundantiam, defectum, partem, menſuramque notent, ut: Porazil ho, pochowal mrtwích, wiſliſal Proſbu, pokradol Plátno, nadáwal mu Zlodegow, vel do Zlodegow.

3. Verba ſpatii, menſuræ & temporis continui, item verba petendi, æſtimandi, obediendi, interrogandi, ut: Tri Hodiny iſol *ivit tribus horis*, leží od náſ tri Míle *diſtat a nobis tribus miliaribus.*

Adnotationes. *a*) Verba temporis admittunt etiam Accuſativum cum præpoſitione za, ut: Tak ale za tri Meſáce zoſtal *manſit aut tribus menſibus.*

b) Verba temporis non continui cum adjectivo vel pronomine regunt vel Genitivum, vel Accuſativum, ut: Teho Roku, vel ten Rok vel w ten Rok *illo anno.*

4. Verba emendi & vendendi præter Accuſativum ordinarium admittunt Accuſativum pretii, interveniente præpoſitione za, ut: Kúpil ſem tu Kňihu za dwá Zlate *emi hunc librum duobus florenis.*

Adnotationes. a) Verbum ſtogi & plati varie conſtruitur: e. g. Prſteň ſtogi (hoden geſt) dwa Dukáti; ſtogi (kupeni geſt) za tri Dukáti; mogu Seſtru (cum Accuſativo perſonæ) ſtogi ten iſti Prſteň dwa Dukáti.

b) Verbum platit *valere* vel *conſtare*, Accuſativum pretii admittit ſine præpoſitione, ut: Tato Kňiha plati (ſtogi, koſtuge. hodná geſt) dwa Dukáti. Platit *æſtimari*, abſolute cum emphaſi ponitur, ut: Obilá plati, i. e. *magno eſt pretio*; Služebňik tento mnoho plati u Pána, i. e. geſt mu welice wzácni. Platit *ſolvere*, poſt Accuſativum rei regit Genitivum cum præpoſitione po, ut: Platil Súkno po Dukáte, po troch Zlatich *ſolvit pannum aureo, tribus florenis.*

*5. Verba percutiendi, projiciendi, & ſimilia præter Accuſativum rei projectæ vel percuſſæ regunt Accuſativum cum præpoſitione na vel o, elegantius o, ut: Hodil praſknul ho na Zem, melius o Zem. Čekám na Pána *expecto Dominum*, Pamatám na ťeba.

6. Verba valetudinem indicantia, ſtonať, ſtukať, ležať, ſtiſkať, ſťežowáť ſi, mať ſa & ſimilia, poſcunt Accuſativum cum præ-

præpoſitione na, ut: Leži, ſtoňe, ſtoná na Hlawu, na Podagru; má ſa zle, ge ňemocní na Hlawu.

7. Ad interrogationem *quorſum*? Kde? ponitur apud verba, quæ motum ad aliquem locum ſignificant, Accuſativus cum præpoſitione na, do, k (ke, ku), e. g. ide na Powalu, do Koſtela, k Ciſarowi, ke mňe.

8. Verba reciproca præter Accuſatvum perſonæ varios caſus regunt pro ratione præpoſitionum, quibuscum conſtruuntur, ut: Hrať ſa na Karti vel w Karti, ſtarač ſa o ňečo, diwať ſa na wolagaku Wec, dotknuť ſa ho, horſim ſa na tebe, horkim ſa pre ňečo, miſlim ſi ňečo o tebe, zdá ſa mi to, umiňil ſem ſi tu Wec.

9. Verba activa duplicem Accuſativum habentia, Accuſativum rei, ſeu prædicati pulchre mutant in Inſtrumentalem, ut: Učiňil ho Pánom, loco Pána.

Adnotatio. Inſtrumentalis hic manet penes tale verbum, etiamſi negative uſurpetur, ut: Nerob ſa mudrim, keď ſi ſproſti.

§. IV. *Vocativum regunt*:

1. Verba poſita in Imperativo, ut: Bože! wiſliſ mňa Modlitbu *Deus! exaudi orationem meam.*

2. Verba, quæ allocutionem vehementem, interrogationem, aut ardens deſiderium exprimunt, ut: Wi Smrtedelni! ſte gako Stíň *ut umbra eſtis mortales.* O Čaſe! kde ſi uſ? welmi ſkoro ſi preſol *o tempus! quorſum elapſum es? nimium fugax eras.* O Čnoſt! dáwáſli Pokog Srdcu? *o virtus! anne pacem cordi tribuis?*

§. VII. Verba, quæ vel *eſſe*, vel *ambulare*, vel *manere* in aliquo loco indicant, ad interrogationem kde *ubi?* ope præpoſitionum na, po, pri, w (we) *Localem* aſſummunt, ut: žige w Meſte, leži pri Dunagi, ide po Ceſte, ſedi na Lawici. Huc refer: túži poňečom.

§. VIII. *Inſtrumentalem regunt:*

1. Verba, quæ inſtrumentum, cauſam, vel modum actionis ſignificant: ut: Mečom zhinul *gladio perivit*, nazwal ho Petrom, pohrdá Šteſtím, Šikom chodi *oblique incedit.*

2. Verba ſocietatem indicantia poſcunt Inſtrumentalem cum præpoſitione z (ze), ut: Towariſi ſa z Bratom, chodi ze Pſom.

CA-

CAPUT XI.

De Syntaxi Verborum Perſonalium cum Verbis.

§. I. Alterutrum verborum concurrentium in Indefinito, ſit oportet, ut: Ti ma učíſ dobre mluwiť *tu me recte loqui doces.*

Adnotationes. 1. Indefinitus modus apud Slavos ponitur etiam pro Nominativo, græca conſuetudine, ut: Súdiť ſa (pro Súdba, Súdeňi) potrebuge Peňáze; mnoho Domow ſtawat, chce Peňáze; ſpiwat, geſt dwakrát ſa modliť.

2. Indefinitus fere omnia exprimit, quæ apud Latinos per Gerundia & Supina efferuntur, nempe ponitur:

a) Loco Gerundii in *di*, ut: Čaſ geſt uſ wſtať *tempus jam eſt ſurgendi.* Čaſ geſt ſa hrať *tempus eſt ludendi.* Nemám Čaſu naſcíwiť Prátelow mogich.

b) Loco Gerundii in *dum* cum verbo auxiliari mám, aut muſím, ut: muſím ſluſat *eſt mihi audiendum*, mám preč odiſt *eſt mihi diſcedendum*, mám ſa hrať *eſt mihi ludendum*, má ſa ſlúžit vel ſluženo biť Prátelom *ſerviendum eſt amicis.*

c) Loco Supini in *um*, ut: idem ſpať *eo cubitum*, odiſol žebrať *abiit mendicatum.*

3. Gerundium in *do* exprimitur per modum Gerundivum; Supinum autem in *u*, immo & alia plura per nomina verbalia in áňi, eňi, uti, ut: ťažko k Wereňi *dificile creditu*, ľitoſtiwo

Patreňi *miſerabile viſu*, idem odHráňi *eo a luſu*, mám Prîčinu Mluweňi vel k Mluweňi *cauſam habeo loquendi*, Hráňim Čaſ tráwí *ludendo tempus perdit*, Mlčením (mlčkom) to učinit mőžeš *tacendo hoc facere potes*, w Spiſowáňi Kňih *in conſcribendo libros*, za Ubiťi ďakugem *pro vapulando gratias ago*, za Oſloboďeňi prigal *ad abſolvendum accepit*, medzi Obedowáňim to mluwil *inter prandendum hoc dixit*, k Poznáňi Prawdi *ad cognoſcendam veritatem*.

§. II. Verbum ráčiť cum Indefinito verbi imperfecti habet ſignificationem temporis præſentis; cum Indefinito verbi perfecti vero habet ſignificationem futuri, ut: Ráčime porúčať *mandamus*, ráčime porúčiť *mandabimus*.

§. III. Si inter duo Verba intercedant conjunctiones: a, kdiž, poňewáč, keď &c. unum ex illis verbis pulchrius effertur per modum Gerundivum abjecta conjunctione, ut: Chodil a ſpiwal *ambulabat & cantabat*, pulchrius: chodíc vel chodiwſi ſpiwal *ambulando cantabat*. Poraziwſi (kdiž porazil) Nepráťela, odpočiwal; mawſe ſa (kdiž ſa mali) za mudrích, Blázni učiňeni ſú; maǵic (poňewáč mám) Nedoſtatek, k ťebe ſa utikám. Ubiťi ſúc (kdiž ho ubili) plakal *contuſus flevit*.

Adnotatio. De regula ad illud tempus modi Gerundivi poni debet verbum, in quo erat in Indicativo; ſi in præſenti ad præſens; ſi in præ-

te-

terito ad præteritum; ſi in futuro ad futurum. Ceterum hoc non eſt ita ſcrupuloſe ſervandum, ut uno tempore pro altero, præſertim futuro pro præſenti vel præterito, non liceat uti.

§. IV. Si ex duobus verbis ante unum in præſenti Indicativi poſitum occurrat relativum kterí Nominativi vel Accuſativi caſus, pulchre omittitur una cum pronomine demonſtrativo ten, tento, &c. ſi adſit; & verbum ponitur ad modi Participialis tempus præſens, concordatque cum ſuo Subſtantivo in genere, numero & caſu, ut: Kterí mnohých winaučugú k Sprawedelnoſti, budú ſkſkať, gako Hwezdi; (omiſſo kterí) mnohých winaučugící k Sprawedelnoſti &c. Dag mi tu Wec, kteru ſ mi ſlúbil; (omiſſo kterí) dag mi Wec ſlúbenu. Milugem tich, kterí ma milugú; milugících mňa milugem.

Adnotationes. 1. Si verbum ſit in præterito aut futuro Indicativi, omiſſio relativi kterí fieri nequit.

2. Modus Participalis non eſt confundendus cum Gerundivo, e. g. Magící Rozum bláznìſ ſa, pro: magic Rozum bláznìſ ſa; Modus quippe Participalis explicatur per relativum kterí, Gerundivus autem per conjunctiones: *cum, dum, poſtquam, et*, &c. hinc habent diverſos ſenſus.

CA-

CAPUT XII.

De Syntaxi Verborum Imperſonalium.

§. I. Verbis Imperſonalibus plerisque additur particula ſa, ut: prihodi ſa *contingit*, bľiſká ſa *fulgurat* &c. aliquibus non, ut: hrmi *tonat*, prſi Déſd *pluit* &c.

§. II. Conſtruuntur & abſolute, & cum caſibus, aliisque orationibus partibus.

Abſolute, v. g.

Sluſi *decet*, ſweči *quadrat*, ſpi ſa *dormitur*.

Cum caſibus, v. g.

Zdá ſa mi *videtur mihi* widelo ſa mu *videbatur illi*, pačilo ſa ťi *placuit tibi*, dart ſa w Rukách, prihodi ſa to wſečkim, ſluſi ſa na mňa, ſweči mi Meč, žige ſa Chlebom vel na Chlebe, Chléb ſa ge, Reči ſa mluwá, &c.

Cum aliis orationis partibus:

Sluſi činiť; tak ſa ſluſi; žige ſa a pige dobre; ſpi ſa hodňe; w Noci ňebezpečňe ſa chodi, &c.

CA-

CAPUT XIII.

De ordine, in quem Verba cum aliis orationis partibus in plena, ac perfecta conſtructione ſunt collocanda.

A. *De collocatione Verbi & Nominativi caſus nominum & pronominum.*

§. I. *Nominativus* nominum & pronominum fere ſemper præcedit verbum, & hoc communiter Nominativum, eaque, quæ ad illum ſpectant, ſubſequitur, e. g. Nebeſa oblaſugú Sláwu bozſku *cæli ennarrant gloriam Dei.* Wſak Pán, kterému wſecko priſluchá, Proſtredek naide *jam Dominus, cui omnia parent, medium adferet.*

§. II. Verbum occupat ultimum totius ſententiæ locum poſt omnia pronomina, adverbia & conjunctiones, ut: kdo ſwogu Dúwernoſt w Pánu Bohu zakladá, ňebiwá zaňechaňi *qui ſuam in Deo collocat fiduciam, non deſeritur.* A to bolo, prečo ſem wám tak ňeſtoro píſal *hæc erat cauſa, ob quam tam tarde tibi ſcripſi.* Gako Bóh Nebe a Zem, a wſecko bol ſtworil *cum Deus cælum & terram & omnia creaſſet.* Pitali ſa ma, čibich tu Kňižku za te Peňáze ňekupil *interrogabar, an hoc pretio librum empturus eſſem.* Poňewáč on aňi wčera, aňi dňeſka ke mňe

priſt

priſť ňechcel *quia nec heri, nec hodie ad me venire voluit.*

§. III. *Nominativus* nominum & pronominum amittit locum, in quo alias eſſe ſolet & poſtponitur verbo definito in ſequentibus caſibus:

1. *In quæſtione:* e. g. Máteli známoſť ſ ním? *noſcis ne illum?* Kde biwá radni Pán? *ubi eſt Conſiliarii habitatio.*

2. *In voto:* Kebi ſen ſkoro wáš Práťel priſſel! *utinum mox veniret amicus tuus.*

3. *Quoties conjunctio* ked, kedbi, geſtli-bi, geſtližebi &c. *omittitur*, ut: Nechcel-libi priſť, dáme ho zawolať *ſi venire recuſaret, accerſetur*; loco: geſtlibi ňechcel priſť &c.

4. *In poſteriore parte Orationis conjunctæ Propoſitionis*, e. g. Čo wíc má ſkúpí, tím wíceg ſi žádá mať *quo plus avarus poſſidet, eo plus habere deſiderat.*

Adnotatio. Unica ab hac regula exceptio datur, ſi ale præcedentem conjunctionem ſice ſequitur, e. g. On ge ſice bohati, ale preto ňeňi ſcaſtliwi *dives quidem, ſeu propterea neutiquam felix eſt.*

5. *In ſententiis, quæ cuidam reſponſum, ſermonem, ſeu cogitationem attribuunt*, ut:

Wſecko

Wſecko ge Márnoſt, prawí Salamun *omnia vanitas, dicit Salamon.* Bude prſat, miſlím gá *pluet, ita opinor.*

6. Si caſus a verbo poſtulatus, aut eorum quidpiam, quæ ad verbum pertinent, Propoſitionem inchoat aut ſaltem verbum præcedit, v. g. Ne mňa, ale teba obrazil Brater twég *non me, ſed te frater tuus offendit.* Pred troma Rokmi boł eſče, žiwi Otec geho *ante tres annos ejus pater adbuc vivebat.*

B. *De collocatione Verbi cum aliis caſibus nominum & pronominum, & reliquis orationis partibus.*

§. I. Si verbum *Genitivum* & *Accuſativum* ſimul poſtulat, Genitivus ſemper ſequitur Accuſativum, v. g. Učil Chlapca Bratra ſwého *docuit puerum fratris ſui.*

§. II. Si verbum *Dativum*, & *Accuſativum* vel *Genitivum* ſimul regit, communiter Dativus præcedit Accuſativum, aut Genitivum, ut: Poſilał nam Poſla *mittebat nobis nuncium*, pomohol mu do Pſoti *juvit ipſum ad miſeriam*, ňe gednému każdému muſíme Tagnoſti naſe zgewit *non cuilibet arcana prodenda ſunt*, žádnému ſem to ňepowedel *nemini hoc dixi.*

Ex-

Excipe: Si Accuſativus perſonale pronomen eſt, ſemper ante Dativum ſit, oportet, v. g. Oderwzdáwá ſa Umeňím *dicat ſe ſcientiis*.

§. III. Verbum præcedunt immediate *pronomina*, quæ ab eo reguntur, v. g. Mňa, a ťeba proſil *me, atque te rogavit*. Budem ťi o kráťkém Čaſi piſať *brevi tibi ſcripturus ſum*.

§. IV. Caſus locum exprimens ſemper poſt caſum tempus ſignificantem ponitur, ut: Gá ho budem w Uterek w Zahrade wideť *eundem die martis in horto videbo*.

§. V. Si duo aut plura Verba in *Indefinito* concurrunt, regens communiter recto poſtponitur, v. g. Nechcel náſ ňechať piť *nos bibere ſinere noluit*.

§. VI. Modus *Indefinitus*, aut *Participium præterti perfecti*, alias modo ſolito, ſi occurrunt, propoſitionem claudunt, ut: Peter prawil: Paňe! hotowí ſem ſ ťebú chiťenim biť, a zemreť *Petrus inquiebat*: *Domine! paratus ſum tecum & capi & mori*. Medzi nami Čnoſť biwá wážená (we Wážnoſti) *inter nos virtus æſtimatur*.

SE-

S E C T I O II.

De Syntaxi indeclinabilium Orationis partium.

C A P U T I.

De Syntaxi Præpoſitionum Separabilium.

§. I. Quædam Præpoſitiones Separabiles petunt ſemper eundem caſum, & quidem: vel Genitivum, vel Dativum, vel Accuſativum, vel denique Localem.

a) *Genitivum* petunt conſtanter ſequentes:

Bez, beze, ut: bez Boha *ſine Deo*, beze mňa *abſque me.*

Blízko, blízo, ut: blízko teba *prope te*, blízko Neweſti *prope nurum*, blízo Zahinutá *prope interitum.*

Daleko, ut i daleko Prawdi, Sprawedelnoſti *procul a veritate, juſtitia.*

Do, ut: do Roka, do Rána, do Polydňá *ad annum, ad mane, ad prandium.* Neňi mi do Žartu, do Tanca, do Gedla, *non eſt mihi animus ad jocandum, ſaltandum, comedendum.* Do Dňá, do poſledňého Grágcara do čiſta, *uſque ad diem, ultimum crucigerum, purum.* Do Meſta ide *pergit ad civitatem*, do Piſma hledí *ſcripta inſpicit.*

Konča, ut: konča mogích Noh ſedel *ad meos pedes ſedit.*

Krem, kreme, krom, krome, ut: krom Boha a mich Bratow ňemáſ Prátela *præter Deum & fratres meos amicum non habes.*

Mimo, ut: ſel mimo mňa, mimo Domu, *ivit penes me, juxta domum.* Wſecci mimo ťeba *omnes præter te,* ňič mimo toho ňewim *nihil præter hoc ſcio.* Mimo Nádege a Obi- čage *præter ſpem & conſuetudinem.*

Niže, ut: ňiže náſ biwá *infra nos habitat.*

Od, ode, ut: idem od Meſta, od Stáda, od Domu, *eo ab urbe, grege, domo.* Od Ďetin- ſtwa, od mnoho Rok, od Porodu až do Hro- bu, *ab infantia, a multis annis, a generatione uſque ad ſepulchrum.* Od Hňewu oňemocňel, *præ ira infirmatus eſt.* Chwilka od Práce *pauſa a labore.* Lekárſtwo od Zimňice *medi- camentum contra febrem.*

Okolo, ut: okolo Meſta *circa urbem,* okolo no- wého Roku *circa novum annum.* Okolo ſtir ti- ſicow, okolo ſta, okolo tiſica, *circiter quatuor millia, centum, mille:* okolo Okowi, okolo Pin- ti, *circiter urnam, pintam.* Okolo Poludňá *cir- ca prandium.*

Podla, podle, ut: podla Pobožnóſti *juxta pie- tatem,* podla Prawdi *penes veritatem,* podle Prikázaňi *ſecundum mandatum.*

Pomimo, ut: pomimo mňa preſel *juxta me pertranſivit.*

U, ut: u Pána *apud Dominum,* u ňeho geſt Moc *penes illum eſt poteſtas,* u Noh *ad pedes.*

Wedla, wedle, ut: wedla mňa ſtogi *penes me ſtat,* wedla ňeho ſa krúti *penes illum ſe rotat.*

Wiſe,

Wiſe, ut: wiſe náſ ſedáwá *ſupra nos ſedere ſolet*, wiſe Roka *ultra annum.*

Wúkol, ut: wſade wúkol náſ horelo *ubique circa nos arſit.* Præpoſitio hæc additur Verbis, ut Adverbium, & non efficit compoſita, ut: wúkol obchádzá *circumit.*

b) *Dativum* petunt ſequentes:

K, ke, ku, ut: ide k Pánowi *pergit ad Dominum*, ſahá k Ditati, k Gedlu, *extendit manum ad prolem, ad cibum.* Mluwi ňič k Weci *nihil ad rem loquitur*, mluwi práwe k Weci *valde ad rem loquitur.* K Cilu bežal *ad metam cucurrit*, k Meſtu ſel *ad civitatem ivit.* K nužnim ge náchilni *erga miſeros eſt affectus.* Sel k Wichodu, k Preſporku, k Wlachom, *ivit verſus ortum, verſus Poſonium, verſus Italiam.*

Proti, naproti, naprotiwa, ut: ide proti Muzikantom *it obviam Muſicis.* Proti Wichodu, Západu, Pólnoci, Poludňu, *verſus orientem, occidentem, ſeptentrionem, meridiem.* Proti Koſtolu biwá *e regione templi habitat.* Bogowat ſluſi proti Telu a Krwi *pugnare opus eſt contra carnem & ſanguinem.*

c) *Accuſativum* petunt ſequentes:

Pre, ut: pre mňa ide, *pro me venit;* pre mňa ſa to hodi, *bonum hoc erit pro me;* pre Boha ta proſim, *propter Deum te rogo;* pre Strach, pre Báżeň, pre Ludi, pre Památku, *propter terrorem, timorem, homines, memoriam;* ňemóże pre Ňemoc, *non poteſt per morbum.*

Preſ, cez, ut: preſ Deň, *per diem;* preſ Noc *per noctem;* preſ Pole, *per campum.* Bol tu preſ Rok, *fuit hic ultra annum;* preſ deſat gich bolo, *ultra decem fuere;* ſel preſ Reku, *ivit trans fluvium;* letel preſ Dom, *volavit trans domum.*

Skrz, ſkrze, ut: iſt ſkrze Wodu aneb Oheň, ſkrz Reku, ſkrz Dom, ſkrz Bránu, *ire per aquam vel ignem, fluvium, domum, portam.* Skrze ſeba ſamého priſahal, *per ſe ipſum juravit;* ſkrze Bratra to učiňim, *medio fratris hoc faciam.* Proſim wáſ ſkrze Gežiſa Kriſta, *rogo vos propter Jeſum Chriſtum.*

d) *Localem* petit Pri, ut: ſú pri náſ, *ſunt penes nos;* pri Stole ſtogi, *penes menſam ſtat;* pri Lútňi ſpiwá, *penes* (ad) *chelyn cantat.* Pri náſ ſtogi, *nobiſcum ſtat vel ſentit.*

§. II. Quædam Præpoſitiones Separabiles petunt varios caſus, & quidem *Accuſativum* vel *Localem* pro varia ſignificatione poſtulant: na, o, po, w.

a) Na regit *Accuſativum*, dum per eam innuitur, 1mo locus, ad quem, ut: Polož na Stól, *pone ſuper menſam;* ſadňi na Koňa, *inſideas equo.* 2do tempus aliquod & modus, ut: na Rok, na Deň, na Tiden, *ad annum* (*pro anno, in annum*), *ad diem, ad hebdomadam;* na černo, na bilo, *nigrum, album in modum;* dal mu na geho Bradu, *ad fidem ejus dedit;* wičital mu Peňáz na Peňáz. 3tio comparatio ſimilium, ut: Wogák na Wogáka, Chlap na Chlapa, Žák na Žáka, i. e. *omnes ſunt æque boni milites, viri, ſtudioſi.* 4to abundantia vel de-

defectus, ut: bohatí na Dobitek, *dives pecoris, vel qua pecora;* zdrawí na Hlawu, *valens qua caput;* chromí na Nohu, *claudus pede;* chudobní na Peňáze, *pauper quoad pecuniam.*

Cum *Locali* autem conſtruitur, dum notatur, 1mo locus, in quo, ut: na Stole *in menſa*, na Kňíze *in libro*, na Nebi *in cœlis.* 2do intentio, ut: na tom bol, *in eo fuit.* 3tio poteſtas, ut: na ňom záleží *in ipſo conſiſtit*, čo na náſ geſt *quantum in nobis eſt.*

b) O petit *Accuſativum*, cum ſignificamus, 1mo tempus, ut: o Deň, o Hodinu dáleg, *una die, uňa hora ulterius,* 2do conatum, deſiderium aut preces, ut: žádal (proſil) o Slobodu, *petiit libertatem.* 3tio tactum, ut: zawadil o Strom, *inpegit in arborem;* uderil ho o Zem, *projecit illum ad terram.* 4to eventum, ut: priſſel o Statek, o Zdrawí, *boňa & valetudinem amiſit.*

Localem autem petit cum de aliqua re narramus, ut: mluwil o Ceſte, *loquebatur de itinere;* piſal o Wogňe, *ſcripſit de bello.*

c) Po regit *Accuſativum*, dum denotatur menſura, ut: Woda po Kolena, po Páſ, po Krk, *aqua uſque ad genua, lumbos, collum.*

Localem autem deſiderat, dum denotatur, 1mo tempus, ut: po Žatwe, *poſt meſſem;* Deň po Dňi, *dies poſt diem;* Hodina po Hodiňe, *hora poſt horam;* Rok po Roku, *annus poſt annum;* 2do exitus rerum, ut: po Hre, *poſt luſum;* uſ ge po ňom, *actum eſt cum ipſo.* 3tio hoſtilitas, ut: ide po ňom, *perſequitur eum.* 4to hæreditatio, ut: doſtal po Otcowi, po Matce, *hæreditavit a Patre, a Matre;* má to po Rode, *hoc habet a ſtemmate.* 5to ordo, ut: po Predku,

